



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Brux. Verbeyst 1841 f 2.
ch. L. 3 — T. 9. U. 46
NIET UITLEENEN

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

145E11

niet plakken

(Boekbandnr. 1785 G 115)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

V. D. Clement Bibl. cur: t VIII. p. 32.

ab an. 1580 ad an. 1614

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

NIET PLAKKEN 145 E 11

GVILHELMVS LVDOVICVS

COMES NASSOVIVS,

ID EST,

ΛΟΓΟΣ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ,

quo genus, vita, res geſtæ, & mors hujuſce Comitis in *Naſſou, Catzenellenbogen, Vianden, Dietz*, Domini in *Bielſtein*, Friſiæ, Groningæ & Omlandiæ, Drentięq́; gubernatoris, ſupremiq́; ibidem armorum pręfecti, herois optimi & fortiſsimi ſuccinctè expoſita ſunt

AB

VBBONE EMMIO,
Hiſtoriarum ac Gręcę linguę in Academiâ Groninganâ profeſſore.

Acceſsit in calce illuſtriſsimæ & antiquiſs. domus Naſſoviæ ſchema genealogicum cum indice in totum librum.

TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

GRONINGAE
Excudebat IOHANNES SASSIVS, Ordinum & Acad. typographus, ANNO MDCXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Firmum CONCORDIA vallum,
Et murus aheneus, armis
Vix expugnabilis ullis.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Illuſtriſſimo & celſiſsimo Principi

D. MAVRICIO,

PRINCIPI AVRANTIAE, COMITI NASSOVIÆ, MEVRSÆ, Buræ, Catzenellenbogii, Viandę, Dietzę, Lingæ, Leerdami, Marchioni Veræ & Vliſſingæ, Domino & Baroni Bredæ, Graviæ, regionis Cűkiæ, Dieſtæ, Grimbergæ, Arlæi, Nozeroii, S. Viti, Daeſburgi, Herſtallæ, Cranendonci, Warneſtoni, Lecæ, Polani, Nijervaertę, S. Martenſdiickii &c. hæreditario Vice-Comiti Antvverpiæ & Veſontionis; Gubernatori Geldriæ, Hollandię, Zelandiæ, Weſtfriſię, Zutphanię, Vltrajecti, Tranſiſalaniæ, Groningæ ac Omlandiæ, Drentięq; &c. ſupremo militię ſociorum Belg. duci, & generali rerum maritimarum pręfecto:

ET

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Inclyto ac generoſiſſimo domino,

D. ERNESTO CASIMIRO,

COMITI NASSOVIÆ CATZENELLENBOGII, VIANDÆ, DIETZÆ, DOmino in Bielſtein, Gubernatori Friſiæ, & ejuſdem provinciæ ſummo rerum bellicarum præfecto, univerſæque militiæ fœderatorum Mareſcallo,

Dominis ſuis clementiſsimis.

QVod DEVS bene vortat, opuſculum hoc alieno meo tempore conceptum & natum exire in publicum jam ſino formâ quidem non ſatis cultum, ſed materiâ egregiũ. Complexus enim eo ſum ſummatim illuſtriſsimi herois domini GVILHELMI LVDOVICI Comitis Naſſovii pridem gubernatoris noſtri genus, vitam, & res præcipuas domi militiæque præclarè geſtas, non hujus ſolùm, ſed ſequentis etiam ævi cognitione & memoriâ digniſsimas. Effigiem quippe optimi, ſapientiſsimi, prudentiſsimi, fortiſsimi principis exhibent, in quâ variarum ac illuſtrium virtutum, veræq; ac ſinceræ pietatis exempla elucent, quę movendis atque excitandis etiam aliis ad ſimilium virtutum ſtudium, quęrendamq; veram gloriam eſſe queant. Atque hęc omnia ſimplice orationis filo, cujuſmodi

viritatem

veritatem maximè decet, expoſui, quantoq; potui compendio conſtrinxi, complexus maximas plurimaſq; res in Belgio pro libertate fœderatorum contra Hiſpanos feliciter geſtas, ut compendium hoc pro breviario quodam aut συνόψει eorum, quæ in his regionibus ab anno MDLXXVII ad annum MDCXIIII acciderunt, lectoribus poſsit eſſe. Hanc verò velut tabulam honori & memoriæ herois defuncti in publico ſuſpenſam & dicatam, illuſtriſsime Princeps, & generoſiſsime fortiſsimeque Comes, ad vos primum mittendam, atque inclytis nominib. veſtris inſcribendam eſſe magnis rationib. cõmotus exiſtimavi. Eſtis enim alter defuncti patruelis, alter frater germanus, & uterque veſtrum in partem muneris, & gubernationis ejuſdem jam ſucceſſiſtis. Tum verò tanta ſemper fuit inter vos, & hunc noſtrum animorum & conſiliorũ conjunctio, ac plurimis in rebus magnis agendis ac perficiundis ſocietas, & laborum periculorumq; communio, ut ſeparari in ſcribendo pleraque hujus à veſtris non potuerint: atque ita accidit, ut eorum commemoratio, quę à vobis geſta ſunt, non minus propè, quam quę hujus ſunt propria, omnem quaſi paginam heic mihi compleat. Accedit, quod vobis majores harum rerum, quas expoſui, teſtes

 faciendæ

faciendæ fidei reperire nequeam: quodq́; ſperē, hanc inſcriptionē libello ipſi apud bonos haud parum gratiæ eſſe conciliaturā. Quod reſtat, oro atq; obſecro humiliter & enixè Celſitudines veſtras, ut conſilium & factū hoc meum clementer accipere, & ęqui boniq́; conſulere, meque ipſum inter eos, qui non fortunam, ſed virtutem veſtram colunt ac admirantur, habere non dedignemini. Quod facturos eſſe vos vel ob gratiſſimam vobis defuncti herois memoriam, qui olim ipſe, cum viveret, ſcriptionem harum rerum, totiuſq́; adeò belli Belgici contra Hiſpanos geſti non ſemel me flagitavit, in eumque finem commentarios manuſcriptos fidiſſimos atque optimos, quos velut theſaurum precioſum ab autore ſibi legatos in rebus cariſsimis aßervabat, legendos mihi dedit, admirabili clementiâ & bonitate veſtrâ fretus ſperare, ac penè certò polliceri mihi audeo. DEVS opt. max. ut fecit hactenus, ſic imposterum quoque conſiliis & actionibus veſtris ad nominis ſui gloriam, & regionum harum, & ſanctarum eccleſiarum defenſionem contra omnes hoſtes benedicat: AMEN.

V. V. Celſitudinum
cultor
VBBO EMMIVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

In hanc tabulam memoriæ & æternitati conſecratam ἐπίγραμμα.

CArmine Mæonidæ vatis celebratus Achilles
Vivit,& hunc prohibet dia Camœna mori.
Heros haud alio cantari debuit ore;
Non alius Muſâ dignus Homere tuâ.
Solus Alexandrum divinus pinxit Apelles;
Solus & hic tabulâ dignus Apellis erat.
Haud ſecus VBBONIS GVILHELMVM ποιμένα λαῶν,
Rectorem Friſiæ, pagina ad aſtra vehit.
Fallor? an ipſa, liram Phœbo pulſante, ſolutis
His Clio numeris arma virumq́ue canit?
Si merita Herois ſpectes & geſta, negabis
Debere hæc alio dicta fuiſſe ſtilo.
Ergo immortalis vivet poſt funera virtus,
VBBONIS calamo picta vetante mori.

NICOLAVS MVLERIVS
Medicinæ Doct. & ejuſdem facultatis ac Matheſeos profeſſor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Aliud.

AVguſtos vultus, & majeſtate verendas
Heroüm effigies pictis ſignare tabellis
Artificum labor eſt, qui nil niſi corporis umbram
Objiciunt oculis: multum majorib. auſis
Illuſtris GVILHELME tuos ex hoſte triumphos,
Effigiemq́ue animi & virtutes principe dignas
VBBONIS calamus vero vivoq́ue colore
Depingit, ſeroſq́ue vetat neſcire nepotes,
Virtutes, inquam, eximias, quas nulla vetuſtas
Obſcuret, nullumve ſequens obliteret ævum:
Aurea victuræ queîs pandunt limina famæ
Neſcia ſcripta mori, magnum vulgata per orbem.
His alis ſublime volant, hoc munere vivunt
Illuſtres animæ, quas virtus miſcuit aſtris.

HENR. SCHONENBORCH
collegio Deputatorum
à ſecretis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

LECTORI BENIGNO.

Res accidit mihi ſanè inepta atque abſurda, cùm ſcriberem hæc, quæ in lucem jam exeunt. Nam à reverendis & clariſsimis collegis meis rogatus, ut orationem funebrem conciperem, quâ illuſtriſſimo gubernatori noſtro, Leowerdiæ nuper defuncto, Academiæ noſtræ nomine parentaretur, exorſus quidem ſum quaſi id facturus, quod in me receperam, quanquam longâ invaletudine feſſus adhuc languerem: verum cum poſt exordium conveniens locum etiam de ſtemmate defuncti, & incunabilis, ac de educatione atque indole, primiſque rebus geſtis in chartam conjeciſſem, incidi in febrim tertianam ardentiſsimam, quæ utplurimùm mortis nuncia ſenibus effœtis eſſe ſolet. Ea me coëgit, quicquid habebam in manibus abjicere, & reliquias virium infirmarum tum ingenii tum corporis prorſum oppreſsit. Eâdem verò ægrè ſuperatâ per DEI gratiam, & virium aliquâ parte ſenſim recuperatâ, poſt aliquot hebdomadas redii quidem ad intermiſſum, ſed quaſi immemor mei, quod febrientib. ſolet evenire, à formâ orationis inſtitutâ cœpi nonnihil declinare, & pro ἐπιδεικτικῷ filo ſequi filum narrationis hiſtoricæ mihi familiarius. Et cum allubeſceret hoc ſtudium dulcedine memoriæ herois defuncti, per intervalla temporis, quoties infirmitatis meæ ratio patiebatur, ſtrictim res penè omnes, aut certè præcipuas in his regionib. fœderatis ac vicinis ab eo geſtas ſecundum ſeriem annorum ſcribendo perſecutus ſum: atque ita non ſolum dicendi genus in decurſu ſtili mutavi, ſed etiam factus ſum prolixior, quam orationis funebris modus poſcit. Vt verbo dicam, accidit mihi heic, quod poëta vetus, vitia ſcriptorum carpens, ait,

Amphora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Amphora cœpit
Inſtitui, currente rotâ tamen urceus exit.

Fateor, lector, &, ut venia mihi detur fatiſcenti lapſantiq; oro. Retexere ob virium defectum, quod malè hoc modo texui, nequaquam potui. In his verò ſcribendis (ne hoc quoque ignores, lector) adjutus ſum variorum autorum commentariis diverſis, partim in lucem editis, partim non editis, omnibus fide dignis. In quibus excellunt ab Eberhardo Reidano, viro doctiſſimo & prudentiſſimo, rerumq; Belgicarum longè peritiſſimo, quem magno in honore, & aſsiduò ſecum per multos annos ad uſque mortem ipſius gubernator hic noſter habuit, idiomate patrio ſapientiſſimè conſcripti. Quorum legendorum copiam primùm autor ipſe pro familiaritate, quæ ei mecum erat, ante annos plus minus XXIII, *cum opus vixdum ad medium perveniſſet, deinde à morte ejus ante ſexennium gubernator, qui opus jam conſummatum, velut* κειμήλιον, *ab autore morituro acceperat, mihi fecère. In menſium dieb. notandis paſſim ſecutus ſum Iulianum Kalendarium, non Gregorianum. Vale, & ignoſce, ac quod peccatum, ſenectæ infirmitatiq; meæ imputa.*

Scripſi Kal. Martii Iuliani anno ætatis meæ LXXIIII ex Nonis Decemb.

Errata enormiora ſic emenda.

Pag. 23 *lin.* 21 *pro* fiilis *lege,* filiis. *Pag.* 33 *lin.* 2 *pro* potuiſſet, *lege,* potuiſſe, *Pag.* 135 *lin.* 4 *in margine ſcribe numerum* 1599, *Pag.* 186 *lin.* 4 *pro* octennium *ſcribe* ſexennium. *Pag.* 188 *in margine ponendus numerus* 1605 *Pag.* 199 *lin.* 7 *dele* per inſidias, *& reſcribe* ſubitâ vi, *Pag.* 204 *lin.* 21 *vocem* regionis *dele.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11



Guilhelmus Lud. Comes
Naſsauiæ, &c. Gubern. Friſiæ,
Groningæ, et Omlandiæ &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

GVILHELMVS LVDOVICVS COMES NASSOVIVS:

ID EST,

FVNEBRIS ORATIO PROLIXA,

integram ejuſdem Comitis vitam & res geſtas exponens.

OCTAVVS nunc agitur dies, auditores nobiliſsimi, ampliſsimi, ornatiſsimi, juvenes, qui heic adeſtis, & literarũ bonarum ſtudioſos vos profitemini, lectiſsimi, ex quo Leovverdiæ ampliſsimum funus factum eſt inclyto & verè illuſtri domino GVILHELMO LVDOVICO COMITI NASSOVIO, gubernatori noſtro longè optimo, prudentiſsimo, fortiſsimo, bonarum literarum fautori & patrono maximo: qui ibidem morbo ſubito ac difficili correptus pridiè Kal. Iunii

Iuliani placidè ac piè ex hac vitâ deceſsit, nobiſque mœrorem & luctum reliquit. Cui ut nos quoque hoc loco parentemus, ac juſta faciamus, officii ratio multis modis à nobis videtur poſcere. Ea quippe principis hujus virtus in omni vita fuit, ea in ſummâ generis claritudine & fortunæ faſtigio modeſtia, humanitas, manſuetudo, facilitas, ea in benè merendo, & bonis benefaciendo promptitudo, ut bonorum omnium amorem & venerationem vivens mereretur, mortuo perpetuus honos & nominis celebratio, ac perenne quoddam deſiderium debeatur. Tum tanta ejus in Deum pietas, in Eccleſiam orthodoxam ſtudium, pro conſervandâ puritate doctrinæ & cultus divini cura, in avertendis obrepentibus corruptelis ſollicitudo, ut paucos omninò in hoc genere pares, nullos ſuperiores habuerit. In noſtrum verò ordinem, & totam rem literariam tàm eximia ejus ſemper comperta eſt benevolentia, ut ſine ſuavi animi motu ejus recordari, ſine ingratitudinis crimine oblíviſci non poſsimus. Ne quid heic

dicam de conſtanti & incorruptâ ejus fide, prudentiâ, vigilantiâ, fortitudine in rep. domi militiæq; gerendâ: in quâ ita verſatus fuit, ut de civitate hac, quam habitamus, quamq; ut fortunarum domeſticarum, ſic Academiæ hujus noſtræ ſedem habemus, & de totâ noſtrâ provinciâ, imò de omnib. provinciis pro tuendâ libertate ſociatis optimè meruiſſe ſit in confeſſo. Addo, quod ipſe dolor, quem ex obitu aut abitu fidiſsimi & prudẽtiſsimi rectoris alieno hoc tempore in undoſo & procellis tumeſcente ſalo nos deſtituentis meritò capimus, haud immeritò ad eum ipſum publicè teſtandum, vocemq; mœſtam promendam nos quodammodo ſtimulet, ut per eam aliquam ſaltem ægritudinis partem, ſi fieri poſsit, egeramus. Sic enim ferè fit, ut dolens, dum dolori ſuo indulget, & in eo commentando & exponendo occupatur, tum levamen aliquod inde capiat, tum moleſtum animi angorem ſilentio ſe paſcentem & incrementum ſumentem quaſi exhauriat. Eſt verò perampla ad dicendum in hoc

conventu & actu nobis propoſita mate-ria, & campus latiſsimus, ſive per laudes herois defuncti decurrere, ſive queſtibus juſtis ob amiſsionem ejus indulgere, & dolendi cauſas æquas explicare libeat, ut difficilius videatur exitum orationis hujus, quàm commodum in eam ingreſſum reperire. Atqui neminem omnium eſſe arbitror in toto hoc eruditiſsimo collegio noſtro, qui ad tàm locuples & copioſum argumentum pro dignitate exponendum minus idoneus ſit, quàm ſum ipſe ego. Nam cùm per ſe ingenium mihi ab ineunte ætate tenue, ac ad dicendum imbecille ineſſe non neſcio, tùm cõfectâ hac ętate etiam vehementer debilitatũ quotidie experior, & quod tale eſt, id doloris pręſentis magnitudine multò etiam amplius hebetari re ipſâ deprehẽdo. Triſtitia enim quæ ex jacturâ reip. exiſtit, cum bonis omnibus, quib. reſpublica cara eſt, mihi eſt communis: ſed præter eam aliud quoque eſt, quod me ſeorſim graviſsimè contriſtat, mœroremq; præcipuum mihi creat, & animũ

meum erigere ſe conantem propè opprimit. Etenim ab eo tempore, quo primùm ex patriâ meâ huc commigravi, per annos totos XXVI affectum ejus, cujus reliquiæ, ut dixi, Leovverdiæ ſepulchro illatæ ſunt, tanti nimirum herois erga me tam benevolũ ac benignum ſemper ſum expertus, ut me conditionis meæ humillimę mihi conſcium in ruborem ſæpe daret, quod ſanè in utrâq; fortunâ, pręſertim in hac gravi ætate ſæpe ſolamini & gaudio mihi fuit. Quî factum, ut inopino ejus ex hac vitâ deceſſu acrior quoque doloris ſenſus animum meum tranſverberans perturbaverit. Quapropter ſuperſedere huic officio lugubri hoc tempore malui ob eam, quam in me omnium maximè ipſe intelligebã, cauſam, quàm temerè ſtadium hoc ingredi, & perperã id ipſum decurrere. Verum cùm hortarentur & urgerent me, quorum authoritatem defugere non audebam, ceſsi voluntati eorum, exiſtimans rectius me facturum, ſi oſtenderem, non voluntatem mihi in re optimâ, ſed facultatem & vires ad eam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

neceſſarias deeſſe. Conabor igitur, & quæ huic tempori & loco, id eſt, funebri orationi congrua ſunt, de illuſtriſsimo gubernatore noſtro, qui ſummi imperatoris juſſu ex hac vitæ ſtatione deceſsit, & nos in hoc ſalo periculis pleno reliquit, poſt reverendum & clariſſimum virum, D. Hermannum Ravenſp. collegam noſtrum cariſsimum, quem heſternâ die facundiſsimâ & graviſsimâ oratione eâdem hac de re diſſerentem audiviſtis, quantum ſinet virium mearum defectus, non quantum rei magnitudo poſcit, dicere exordiar. Vos oro auditores nobiliſsimi, ampliſsimi, clariſsimi, ornatiſsimi, & cæteri, quotquot adeſtis, ut ſi non aſſequar, quod debeo, non culpæ meæ, ſed infirmitati adſcribere, nec tàm temerario meo auſui, quàm voluntati alienæ, quæ me audere, atque ad rem hanc aggredi juſsit, tribuere velitis.

Illuſtriſsimũ ſtemma Naſſovium,

Ortus eſt verè inclytus & laudatiſsimus Gubernator noſter GVILHELMVS LVDOVICVS familiâ illuſtriſsimâ, quę inter domos principum Germanię claritudine

præcipuâ

præcipuâ præcellens à celeberrima & vetuſtiſsima arce NASSOVICA, ad fluvium Lonam haud procul inde in Rhenum, paucis miliaribus infra oſtium Moſellæ, exeuntem, ex media Haſsia venientem, in regione, quam veteres Tingri olim habitarunt, nomen trahit. Ejus verò conditorum originem à Naſua Suevorum principe deducere, cujus nomen apud C. Cęſarem bellum Gallicum exponentem reperitur, id putidum nimis eſſe, & vanis ingeniis congruũ exiſtimo. Hoc autem ad antiquitatis & nobilitatis laudẽ ſatis fuerit, quod cum imperii Germanici majeſtas, exoleſcẽte Caroli Magni poſteritate Francicâ, virtute Henrici Aucupis ejus nominis primi Cæſaris ad Saxonas trãſlata eſt, NASSOVIORVM nomen cum dignitate Comitum ante annos plus minus DCC claruerit. Quo tempore OTTO ejus nominis primus Comes Naſsovius, qui patrem Ioannem, avum Everhardum, proavum Philippum familiæ ejuſdem proceres cenſebat, contra Pannonas arma tuliſſe memoratur. Hujus nepos

Geldriæ Comites et Duces ex Naſſoviis.

ejuſdem cum eo nominis virtutis ergò Geldriæ Comes ab Henrico IIII imp. deſignatus, & per uxorem Zutphaniâ, omniq; ditione Zutphanienſi quoq; potitus, domum inclytam nobiliſsimorum Geldriæ & Zutphaniæ Comitum, & poſt eos illuſtriſsimorum quoq; Geldriæ Ducum ex ſe genuit, qui regiones illas Rheno vicinas per annos ferè CCCXX tenuerunt: quorũ poſtremo Reinaldo III anno æræ Chriſtianæ MCCCXCVIII ſine liberis defũcto regiones eædem ad familias alias Iuliacenſem & Egmondanam & Burgundicam tranſiêre. Ex altero autem nepote WALRAMO eidem Ottoni Naſſ. primo poſteritas alia propagata eſt, quæ in varias familias diviſa commune tamen nomen Comitum Naſſoviæ retinuit. Hujus Walrami adnepos HENRICVS Naſſovius ampliſsimas ditiones & opes poſsidens cognomen DIVITIS invenit, & duobus filiis genitis ex altero VValramo nepotem habuit ADOLFVM totius familiæ ad id uſque tempus decus longè maximum, qui mortuo Rodolfo I ob

Adolfus Naſſovius imp.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

eximiam virtutem, quâ inter omnes Germaniæ principes celebris erat, à VII-viris Electoribus imperator creatus imperium ſibi traditum magnâ cum laude adminiſtravit, omnibuſque æmulis formidini fuit. Cui ut virtus gloriam, ita gloria invidiam conſcivit. Eâ tortus Albertus Rodolfi I filius, primus Habſpurgicæ domus Auſtriæ princeps, qui opibus inflatus ſibi multò potentiori, & quidem imperatore Rodolfo genito, prælatum Naſſovium virtute potius, quàm opum vi nixum ferre non poterat, corruptis Electorum quibuſdam, eorum ſuffragiis imperator nominatus, Adolfo in acie interempto imperium rapuit, multoq; deterior multò meliori ſucceſſit. Quemadmodum enim Adolfus omni ſtudio anniſus fuerat, ut quod in inauguratione promiſerat, quodq; more recepto Auguſti nomine profitebatur, id re ipſâ pręſtaret, imperii ſcilicet jura & opes ut augeret, iiſque privata domus ſuę commoda, quanquam liberis abundaret, poſthaberet; ſic Albertus, ut liberos ſuos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

quos item complures habebat, locupletaret, avarè admodum imperium habuit, ejuſque opes & jura paſsim minuit, quanquam idem, quod Adolfus ex more ſanctè pollicitus eſſet, idemque cognomen Augusti uſurparet. Quapropter & vindicta numinis in eum, & omnes, qui cum ipſo conſilia contra Adolfum ſociaverant, exarſit. Nam omnes ii, ut ex hiſtoriâ diſcimus, malâ morte pauló poſt periêre: & ipſe Albertus, cum pupillum quoque ſuum, fratris filium, Sueviæ ducem, quem ab aliorum injuriâ prohibere & defendere debebat, per ſummam injuriam defrauderet, ab eodem eſt trucidatus. Ex ADOLFO porrò ſunt Naſſovici ſtemmatis, IDSTEINII, WEISBADENSES, VVEILBVRGII, qui trans Lonam fl. meridiem verſus, quâ Abnobii montes in meridiem ferè deſinunt (ſic appellata ſunt olim montana, quæ ad Chattos & Tingros pertinuêre, nunc ad Heſſos præcipuè pertinent) quique ad Saram amnem in VVeſtraſiâ ad Rheni occidentem, ac in vicinia urbis Noricæ regiones tenuerunt,

Idſteinii, VVeiſbadenſes, VVeilburgii.

atque

atque etiam nunc tenent. Ex patruo verò ejus OTTONE deſcenderunt, qui in latere eorundem montium Abnobiorum ad Lonam, Sigam, Dillam fl. peramplas ditiones, ſedeſque majorum vetuſtas poſſederunt, & ad poſteros hodiernos tranſmiſerunt: quib. finibus ipſa antiquiſsima arx NASSOVIA cum cognomine foro, & altera magnificè & regio ferè luxu ſtructa, atque inter omnes totâ illâ plagâ poſitas Comitum multorum arces caput efferens, ac munitionibus ſuperba, amœnoque loco ad Dillam amnem ſita DILLENBVRGIA, domicilium hujus familiæ præcipuum: tum oppidum lautum & penè liberum, ſuoque jure in eligendis magiſtratib. & ordinanda civitate, regendiſque civibus gaudens SIGENA ad amnem Sigam, & HERBORNA ad Dillam gymnaſio literario illuſtri hodie nobilis, atque his etiam Comitatus & ditiones aliæ illuſtres cum decurſu temporis accrevêre, DIETZA amne Lonâ diviſa, BEILSTEINA arx illuſtris, & litigioſa CHATTORVM ANCONA in

Naſſovii Dilenburgenſes.

eâdem iſtâ viciniâ, & procul his finibus VIANDA, FANVMQVE VITI in regione Lucelburgéſi. OTTO, quem dixi, filium genuit HENRICVM Adolfi imperatoris fratrem patruelem, Henricus OTTONEM, Otto IOANNEM, Ioannes ADOLFVM, IOANNEM, ENGELBERTVM; Engelbertus paternis ditionibus ampliſſimo Baronatu BREDANO in Brabantiâ jure uxorio auctis (erat enim ei uxor Ioanna & hujus Baronatus & aliarum maximarum opum hæres) IOANNEM filium habuit abavum gubernatoris noſtri, cui nunc juſta facimus. Ex Ioanne nati ſunt ENGELBERTVS avo, & IOANNES patri ὁμώνυμοι: quorum ille ex hæreditate parentum Viandenſem Comitatum cum Fano Viti, & maternas opes in Brabantiâ & reliquo Belgio ſortitus magnum incrementum illic illuſtri nomini Naſſovio dedit. Nam ob ingenium ſublime ac generoſum Carolo Burgundo potentiſsimo principi præcipuè carus, ac magnus ab eo rebus admotus, & filiæ ejus Mariæ cum primis fidus, nuptiarumq; inter hanc &

Engelbertus Naſſovius maritus Ioannæ Bredanæ.

Engelbertus alter prioris nepos, potens & clarus in Belgio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Maximilianũ Auſtriacum præcipuus ſuaſor & conciliator, cum pro Maximiliano non ſemel fortiter & feliciter res geſsiſſet, eundemque præſentib. periculis eripuiſſet, conſtitutæ & conſervatę Auſtriacorum fortunæ in Belgio autor quoque præcipuus habitus fuit. Atque hanc ob cauſam poſt tempeſtates Flandricas compoſitas Flandriæ primùm præfectus à Maximiliano datus, dein à Philippo Maximiliani filio ad ineundum dotale regnum in Hiſpaniam proficiſcente ſupremus totius Belgii gubernator ac Proprinceps deſignatus, & pluribus in Belgio ditionib. ac dignitatibus auctus, poſt Philippi reditum ſummo in honore ac gratiâ vitam tandem Bredæ finiit anno Chriſtiano MDIIII ſine liberis ex ſe genitis, hærèdemq; omnium rerum fratrem Ioannem reliquit. Hic IOANNES ad orientẽ Rheni regionibus avitis à morte parentis acceptis cum harum in Belgio quoq; hæreditatem adiiſſet, quietis amans XII annos poſt fratrem vivendo complevit. Cui cum duo eſſent filii egregiæ indolis,

Ioannes Naſſ. Engelberti frater.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Henricus Naſſovius Dives.

HENRICVS natu major, in Belgio apud patruum educatus, & ex deſtinatione ipſius, atque ex comparatione cum fratre, vivente adhuc & volente patre, in res ejuſdem patrui ſuccedens, ob opum magnitudinem dives vulgò nuncupatus, procerum omnium Belgicorum poſt ipſum principem Carolum Auſtriacum, Belgicarum provinciarum ſupremum dominum, ducem Burgundiæ, Hiſpaniarum regem, & demùm imperatorem Auguſtum, ſine dubio & potentiſsimus & locupletiſsimus, cubiculo ejuſdem Caroli imp. præfectus, Brabantiæ præſes, totiuſque militiæ Belgicæ ſummus dux, ac magnis rebus geſtis pro fortunâ domus Burgundicæ contra Gallos & Geldros apprimè clarus vitam clauſit anno MDXXXVIII, hęredemq; filium unicum habuit RENATVM ex Claudiâ Challoniâ Aurantiæ ſtirpis ſuſceptum. Iſtum verò avunculus PHILIBERTVS Challonius Ioanne natus, ultimus ejus familiæ AVRANTIAE princeps, bello Florentino, cujus ipſe ſummus dux pro Cęſare erat,

Renatus Naſſ. Aurantiæ princeps.

erat, cum ictu tormenti ſaucius moriturum ſe ſentiret, ac liberis careret, hæredem inſtituit: quâ inſtitutione non ſolum Aurantiæ Principatus in Gallia Narbonenſi ad Rhodanum, ſed etiam ampliſſimarum regionum & opum in Sequanis, qui hodie Burgundi ſuperiores ſunt, dominum eum fecit, & plus quàm tantundem ei adjecit, quantum à ditiſsimo patre ad ipſum pervenerat. At GVILHELMVS alter Ioannis filius cæteras omnes ditiones avitas & paternas ad Rheni orientem in Germania Haſsiæ confines adeptus ex IVLIANA Stolbergiâ Botthone Comite natâ egregiam ſobolem maſculam ſuſtulit, GVILHELMVM illuſtriſſimum libertatis Belgicæ vindicem, IOANNEM gubernatoris noſtri parentem, LVDOVICVM armis inclytum, Guilhelmo fratri in rebus gerēdis fidiſsimum ſocium, ADOLFVM in Friſiâ hac noſtrâ non procul Dullarto ſinu belli Belgici initio, ſecutum ſigna Ludovici fratris, dum fortiter contra Hiſpanos depugnat, interemptum, HENRICVM natu mini-

Guilhelmus Naſſovius.

mum

GVILHELMVS alter Naſſovius, AVRANTIÆ princeps, libertatis Belgarum aſſertor & vindex.

mum cum eodem Ludovico fratre in Geldriâ cæſum, ut numeroſam prolem ſexus alterius ſilentio præteream. De primogenito GVILHELMO noſtri hujus patruo ſi velim vel ſtrictìm dicere, id nihil aliud fuerit, quàm tempus & operam velle perdere. Decantatæ enim laudes ejus ſunt à multis eloquentiſsimis viris, & nomen illuſtre propter illuſtres ab eo res geſtas toti ferè orbi, imprimis verò nobiliſsimæ ejus partì Europæ eſt notiſsimum. Qui cùm à Renato patruele adhuc juvenę ac nuptiarum experte, bellum tum in Galliâ ad Landreſium pro eodem Cęſare Carolo gerente, & ex vulnere, quod in obſidione Landreſii acceperat, mortem quoque oppetente ex aſſe hæres ſcriptus eſſet, tum in iis, quæ patris Renati quondam fuerant, tum in reliquis, quæ teſtamento avunculi Philiberti ad eundem pervenerant, & jam AVRANTIAE princeps audiret, anno ætatis ſuæ XII in Belgium venit, & jam tum penè adhuc puer, aut primos adoleſcentiæ annos ingreſſus ob ſplendorem generis & opum

opum amplitudinem, maximè verò ob eximiam & raram, quę in eo elucebat, & nihil niſi magna promittebat, indolem, omnium Belgarum oculos in ſe vertit. Nulli verò carior fuit, quàm ipſi Carolo V Caesari, Belgarū ſummo principi, qui ſimul ac ætas ejus rebus gerendis facta eſſet idonea, in maximis negociis operâ ejus feliciter eſt uſus, & ante omnes proceres filio ſuo Philippo ipſe imperio jam decedens eum commendavit. Philippus verò neglecto patris præcepto conſilia Hiſpanorum ſuorum, imprimis autem Cardinalis Granvellani Antonii Peronoti hominis verſutiſsimi & nequiſſimi ſecutus, quæ ad opprimendam libertatem Belgarum, & extirpandam religionem cum impiâ ſuperſtitione & cultu Romanenſi non congruentem pertinebant, eum pro tuendâ libertate ſentientē, & perſecutiones crudeles cōtra homines Romani Papæ dictamina, ac decreta Chriſti & Apoſtolorum ejus & omnium ſanctorū patrum doctrinę anteferre recuſantes improbantē non oderat ſolùm, ſed etiam per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ditum cupiebat. Itaq; ipſe eas rationes iniit, (cautior & ſapientior Lamoralio Egmondano, & Philippo Mommorantio Hornano, optimis cęteroqui principibus, benèque de rege meritis, quos ſævitia Albani ad fœdæ ſervitutis jugum Belgio toti imponendum à rege cum exercitu miſsi, ſtatim in tyrannidis initio manu carnificis immaniter mactaverat) quibus & vim tanti regis reprimeret, & curſum perſecutionis pluſquam crudelem inhiberet, atque extremam ſervitutem à Belgis averteret. Et quidem adjutore DEO fretus per varia pericula & per varios caſus ſapientiſsimis conſiliis ſuis, & fortiſsimis auſis per annos totos XVII ſuſtentatâ belli fortunâ contra eas hoſtis potentiſsimi vires, quæ vel univerſæ Germaniæ & Galliæ & Angliæ formidabiles videri poterant, hujuſmodi rerum iſtarum fundamenta jecit, ut meritò vindex libertatis Belgicæ, & verus populi pater dici poſsit. Quem cùm armis honeſtiſque conſiliis Hiſpani non poſſent, ſceleratâ fraude, quâ ſæpe eum antè appetierant,

rant, immiſſo nefario percuſſore cum æ-
ternâ regii nominis infamiâ tandem an-
no MDLXXXIIII è medio ſuſtulerunt.
Quo tetro facinore perpetrato putarunt
immaniſsimi homines Belgarum ſan-
guinem ſitientes, velut paſtore ſublato,
ad gregem trucidandum, & ovile diſsi-
pandum, omniaque ex libidine ſuâ agen-
da aditum ſibi jam apertum eſſe. Sed
nuſquàm magis, quàm heic eos opinio
& ſpes pluſquam improba fefellit. DEVS
enim præclaram ſobolem fidiſſimi paſto-
ris crudeliter interempti nobis conſer-
vavit, & ejuſdem generis ac domus alios,
qui ſtationem ejus exceperunt, & cœpta
ab eo non minus feliciter quàm ſapien-
ter ac fortiter pertexere frementib. Hi-
ſpanis perrexerunt. Horum coryphæus
eſt, & velut fulgentiſsimum ſidus, Her- *MAVRICIVS AVRANTIÆ princeps.*
cules noſter & Atlas, illuſtriſsimus prin-
ceps MAVRICIVS, filius Guilhelmi hu-
jus Aurantii ſecundo-genitus ex matre
Saxonide, MAVRICII Electoris filiâ,
quo noſtrâ & parentum noſtrorum me-
moriâ nullus per omnem Germaniam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

regionem ſcilicet armipotentem, bellator fuit prudentiâ & fortitudine præſtantior, qui domitorem Germaniæ Carolum V Cæſarē armis ſuis domuit & ad capienda abjectiſsima conſilia ponendi imperii adegit. Cujus δεινότης in occipiendis & conficiundis rebus, cum patris Guilhelmi prudentiâ in capiendis conſiliis, in Mauricium noſtrum tranſiiſſe, ſi quis dixerit, nihil abs re dixerit. Is adoleſcens à patre relictus cum fratre adhuc puero aliâ matre Ludovicâ Coligniâ nato maturâ virtute annos anteveniens, cum afflictiſsimæ res Belgicæ eſſent, non ſolùm eas fortiter ſuſtinuit fretus Ordinum omnium fide admirabili & amore erga ſe ſingulari, ſed etiam feliciter erexit, patriſq; res & gloriam non æquavit tantùm, verùm longiſsimo quoq; intervallo ſuperavit, nomēq; ſuum, quâ Oriens & Occidens, Septentrio & Auſter patent, ad extremos uſq; mundi fines cum laude extendit. De quo, quia ſupereſt (DEVS faxit, ut diu ſuperſit, qui prora & puppis nobis nunc eſt) plura dicere hoc loco non libet:

dicemus (volente DEO) cum res poſcet. Ad quem non ita nuper morte fratris primo-geniti maximæ opes per Belgium, Galliã, Burgundiam cum nomine & principatu AVRANTIO pervenêre. Nec de fratre minore HENRICO FRIDERICO, qui in laudes fratris & patris & materni avi, inclyti Galliæ Amiralii, herois incomparabilis ampliſsimas ſuccreſcit, & indolẽ præclaram præclaris factis demonſtrat, differendum heic mihi puto. Sororem tantùm conſanguineam Borboniâ matre familiæ Monpenſeriæ prognatam, regum Galliæ agnatam LVDOVICAM præterire tacitus non poſſum, quæ nupta FRIDERICO IIII Palatino Electori FRIDERICVM V patris in eâdem dignitate Electorali ſucceſſorem, & mox liberâ voluntate liberorum Bohemiæ ordinum illius regni regẽ expetitum & creatum, & nunc regnantem edidit heroa digniſsimum, quí cum laudatiſsimis regibus ac principibus, qui vixêre unquam, comparetur. Quid vero de altero gubernatoris noſtri patruo LVDOVICO memorem? Cujus ſi fortuna virtuti

Henricus Frid. Naſſ. Mauricii pro frater.

Ludovica Friderico IIII Elect. Palatino nupta.

Ludovicus Naſſ.

reſpondiſſet,

reſpondiſſet, cuivis magno heroï par eſſe potuiſſet. Qui cum conflato repentè exercitu in hac regione noſtrâ validiſsimam veteranorum Hiſpanorum legionem longi temporis ſtipendiis heic illic confectis ſuperbientem, fortiſsimè ſtraviſſet, eoſq; qui putabantur invicti, cum ductore Arenbergio belli artibus inſtructiſsimo latè cæcîdiſſet, eodemque loci fratrem ADOLFVM ſtrenuè dimicantem amiſiſſet, dein victor urbis hujus obſidionem per ſeptimanas ſex ferè continuaſſet, ob ſubitum adventum ducis Albani omne robur militiæ Hiſpanicæ ſecum trahentis cedere coactus, ejus vim ſine dubio virtute ſuâ fregiſſet, niſi ſcelus deterrimi hominis, cui meritò fidere plurimùm debebat, quo ſummo legato in regendo exercitu utebatur, res ipſius evertiſſet. Pòſt verò ad fratrem Guilhelmum reverſus, haudquaquam animo fractus, in Galliâ reparato exercitu, occupato Monte, Hannoniæ metropoli, magnis rebus novum initium feciſſet, & Albani fortunam in diſcrimen dediſſet, niſi Galliæ

regis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

regis fides, quæ tùm multa piorum hominum millia nequiſsimè perdidit, eum deſeruiſſet, aut, ut verius dicam, nefaria ejuſdem perfidia hoſti eum prodidiſſet. Demùm novis rurſum copiis confectis, & conatu inſtaurato, ut fratri ſummo belli contra Hiſpanos libertatis Belgicæ oppreſſores duci præſtò eſſet, prope Neomagum in Geldriâ infelici fato à plurimis & lectiſsimis Hiſpanicorum copiis inopinatò deprehenſus & circumventus, & à ſuis in periculo deſtitutus, cùm omnia optimi ductoris munia ſtrenuè pręſtitiſſet, cum CHRISTOPHORO Palatino Friderici VII-viri Electoris filio, & HENRICO fratre ſuo, qui ejus auſpicia ſequebantur, anno MDLXXIIII occubuit, & æviternam laudem cum gratiſſimâ memoriâ poſteris reliquit. Ita ex quinque fratrib. Naſſoviis, Guilhelmi ſenioris filiis tres jam ſanguinem & vitam ſuam pro libertate Belgarum pugnantes profuderunt: quibus poſt decennium additus eſt quartus Guilhelmus Aurantiæ princeps, familiæ caput, ſceleratâ manu,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ut antè eſt dictum, peremptus, velut hoſtia ad aras mactata. Reliquus fuit IOANNES ſecundo-genitus bono Belgii noſtri numeroſâ prole maſculâ beatus. Ex primâ enim conjuge Iſabellâ Luchtenbergiâ (tres namque habuit) ſex filios genuit, omnes ad eam uſque ætatem in vivis ſuperſtites, quæ ad arma ferenda eſt idonea, Guilhelmum Ludovicum noſtrum, Ioannem, Georgium, Philippum, Erneſtum Caſimirum, Ludovicum Guntherum: & ſeptimum ex conjuge tertiâ Ioannâ Ludovicâ Witgenſteinia Ioannem Ludovicum juniorem; præter filias quinque, quarum minima natu Æmilia ex uxore ſecundâ Cunigundâ Palatinâ Friderico III Electore editâ, cæteræ Iſabella, Iuliana, Maria, Mechtildis ex primâ. Ipſe IOANNES tantæ ſobolis parens, AVRANTIO fratri conjunctiſsimus, cum res bonorum in Belgio anguſtiſsimæ eſſent, & cum ipſa deſperatione luctari viderentur, ne duriſsimo tempore cauſæ optimæ quicquam à ſe deeſſe pateretur, ingentem pecuniæ vim fide ſuâ & fratris hinc inde

Ioannes Naſſovius Dillenborg. cum liberis.

confectam,

confectam, ſuoq́ue & fratris nomini inſcriptam, iis ſuſtentandis ac erigendis impendit. Quo quid facere potuit amicius? Nam ut laboranti, ac ferè deploratæ cauſæ quoquo modo pro fortuna ſua ſuccurreret, ingens ęs alienum ipſe conflavit, & ut eos, quos pro amicis ac ejuſdem ſecum ſpei beatæ ſociis habebat, premente neceſsitate ſublevaret, graviſsimis nominibus ſeſe ſuoſque oneravit. Quin etiam poſt interitum trium ſuorum fratrum, qui abſterrere eum à tentandâ eadem glacie poterat, cum res Belgica procerib. pluribus quib. gubernatio diverſarum provinciarum, ac ſalus publica tutò ac rectè committi poſſet, quiq́; autoritate apud populum valerent, opus haberet, à fratre & ordinib. rogatus ipſe relictâ patriâ in Belgium venit, & gubernationem Geldrorum ac Zutphanienſium in ſe recepit, anno Chriſtiano MDLXXVIII ſur- 1578
gente, primuſq; horum nomine, Vltrajectino fœderi vix-dum inter ordines initi
ſubſcripſit anno ſequente MDLXXIX in- 1579
clinante menſe Ianuario. Dein reb. ibi, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

1581 ferebant tempora, conſtitutis ac ordini bono datis revocatus à ſuis vix impetratâ dimiſsione rediit in patriam, princeps verè pius, prudens, juſtus: qui pietatis ſuæ ſignum ſingulare extulit, cum priorib. annis, priuſquam in Belgium iret, eruditiſsimos & pientiſsimos viros doctrinæ orthodoxæ ergò aliis illuſtrib. locis pulſos non veritus maximorum principum offenſionem, hoſpitio excepit, honeſtèque & liberaliter pro modo & copiâ rerum ſuarum habuit; cumque gymnaſium etiam illuſtrę fovendæ ſynceræ doctrinæ & religioni puræ inſtituit: quod quidem gymnaſium aliquandiu totâ eâ Germanię plagâ inter Academias circumſitas à Pantachuſiaſtis, & eorum ſociis contaminatas, velut elegans roſetum inter ſpineta effloruit, atque etiam nunc nitorem ſuum non amiſit. Qui cum diu patriæ benè præfuiſſet, & velut φώσφορος inter ſui ordinis proceres in Germania luxiſſet, & autoritatis apicem etiam apud ſummos principes tenuiſſet, ſapientiæ, juſtitiæ, modeſtię, vigilantiæ, ſobrietatis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

caſtitatis, illuſtre exemplum fuiſſet, ætate grandęvâ domi ſuæ in arce Dillenborgiâ tandem deceſsit anno Chriſtiano MDCVI, ſeptuagenario major; ſubditis fuit omnib. cariſsimus, veriſq; eorum lachrymis velut verus pater patriæ defletus. Atq; hæc nos de genere & majorib. defuncti ideò reliquæ orationi noſtræ præmiſimus, non quod copiâ rerum ad ipſummet, de quo verba jam facimus, ac ad ipſius proprias ac veras laudes pertinentium indigeremus (eſt enim ea per ſe maxima) ſed quod bonis eſſe ortum non ultima laus ſit ejus, qui majorib. hujuſmodi dignum ſe præſtat; & quod parentum majorumq; indoles in liberos & poſteros ut plurimum tranſeat. Verum namque illud eſt, quod poëta vetus cecinit,

Fortes creantur fortib. & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Atque ut mali corvi malum ovum, ita aquilæ generoſæ generoſa proles naturæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

GVILHELMVS LVD. natus anno 1560, die 13 Martii.

quodã ordine exiſtit. Iſto igitur patre de quo diximus, & ei non diſpare matre Iſabellâ Luchtẽbergiâ genitus Sigenę GVILHELMVS LVDOVICVS, ob quẽ nunc in luctu ſumus, quemadmodum ab iis ſemina pietatis, virtutis, ſapientię traxit, ita in earum omnium, ſimul & bonarum literarum atq; artium ſtudio diligenter à teneris eruditus & educatus, & exẽplis domeſticis ad laudem formatus atq; excultus, boniſq; morib. imbutus, & à ſpinis vitiorum, ſi quæ, uti in lubricâ & improvidâ ætate ſæpe ſit, ſuborirentur, maturè purgatus adolevit, pręclaramq; indolem ſuam à natura inſitam hujuſmodi cultu cum tempore fecit pręſtantiorem. Nam ut boni ſeminis bonum germen ferè eſt, ita accidente culturâ germen quoq; fit melius. Et ut ſtudia in mores plerunq; abeunt ita diſciplina runcinæ loco eſt, quâ quicquid ſubnaſcitur lolii aut tribulorũ, in herbâ exſtirpatur. Erat autẽ corpore non magno, ſed aptè formato, nervoſo, agili, decoro, laborum patiente: animus verò ejus jam tum magnus, ſolers, ab omni ſegnitie ac ſocordia

Optimè educatus.

Indoles, & ſtudia ejus in adoleſcentia.

diâ alienus, idemq; docilis & monitorib. obſequens: oculi, animi indices, vividi & acres. Imprimis equis ab ipſa penè pueritiâ gaudere, eos cum per ætatem jam licebat, frequenter aſcendere, iiſq; vehi, omni deniq; equeſtri, ludo atq; exercitio delectari; arma etiam libentius, quam aleam, talos, ſimiliaq; tractare. Quæ omnia etiam tum cum adhuc adoleſcens eſſet, virum verè magnum eum futurum portendebãt. De hinc cum annũ ętatis compleſſet ſextũ decimum, cum tribus fratrib. IOANNE, GEORGIO, PHILIPPO, & cum patruele MAURICIO, cujus antè à nobis laudes ſummatim notatæ & ſępe deinde memorãdæ, & quatuor amitinis BERGENSIB. ſub curâ Ephororũ Heidelbergã miſſus fuit, ut non ſolum toto orbe eruditiſsimos & pientiſsimos viros docẽtes illic audiret & uberiorẽ fructum in doctrinę & pietatis ſtudio faceret, ſed etiam quaſi in luce Germaniæ ſub oculis pientiſsimi & ſapientiſſimi principis Friderici III Septẽviri verſaretur. Cumq, ibi cum reliquis ſubſtitiſſet annũ unum & aliquot mẽſes, extincto jam

Heidelbergam miſſus anno 1576.

optimo principe Friderico, rebuſq; illic converſis, ad patrem reverſus, cum eo in BELGIVM paulò poſt profectus, & patruo Aurantio traditus eſt, ut ſub illo magiſtro, quo prudentiorem & peritiorem orbis Arctous non habebat, non ſolùm conſiliis remp. regere, ſed etiam *tolerare labores Militiæ, & grave Martis opus addiſceret.* Illic cum ſeſe occaſio offerret, in comitatu magnatum, mari trajecto, Angliam adiit, ut reginam & regnum ejus videret. Inde Belgio repetito, apud patruum commorans, & ab ejus latere raro diſcedens, & equeſtrib. ſtipendiis initis, quoties res dabat, hic illic experimenta militiæ prima deponens ita patruo eidem placuit, ut filii penè loco ab eo haberetur. Et quemadmodum fieri ſolet, uti virtus exoriens, præſertim pulchro in corpore habitans, & generoſæ ſtirpis commendationem ſecum trahens, amorem & admirationem facilè inveniat, paulò poſt FRISIORVM ſtipendiis fuit expetitus, &, quod honorificentiſsimum juveni, vixdum XX ætatis annos habens, quæ ætas in

Venit in Belgium.

Militiæ adſcriptus.

Legioni Friſiorum præfectus.

in aliis parendo, quam imperando aptior exiſtimatur, totam legionem regendam accepit, cui Naſſovicæ nomen datum. Quo in munere ac præfecturâ mox ab initio ſic verſatus eſt, & tale ſui ſpecimen prębuit, ut expectationem de ſe conceptam non ſolùm non fallere, ſed etiam ſuperare videretur. Expeditionum prima ei fuit obſidio urbis hujus noſtræ, quam GEORGIVS LALAINIVS fidei ſuæ cum univerſâ cis Amaſum Friſiâ, & regione Tranſiſulanâ ab Ordinib. generalib. & principe Aurantio commendatam contra Hiſpanos, perſuaſus à ſorore, nefario ſcelere oppreſſâ parte meliorum civium Hiſpanicis tradiderat, eoq́ue uno facinore inæſtimabili detrimento totum Belgium involverat. Fecerat jam obſidionis iſtius initium aliquod, aut potius præludium inſtituerat BARTHOLDVS ENTENIVS, vir nobilis, auſpiciis ordinum militans, legioni laceræ præfectus, ingenio planè Martio, quique magnum nomẽ ſibi ex re militari parare potuiſſet, niſi temulentus, & aliis obnoxius

Miſſus cum Ph. Hohenloo ad obſidendã Groningam anno 1580.

vitiis

vitiis fuiſſet. Sed ut juſtis virib. res ea, quæ Entenii virium non erat, gereretur, PHILIPPVS Comes HOHENLOVS, Aurantii gener, & hic noſter GVILHELMVS LVDOVICVS cum ſuis uterq; copiis iſtuc miſsi fuêre. Et jam in arctum redacta res Lalainio in urbe erat, cum primum temeritate ſuâ Entenius benè potus in exitium ſeſe præcipitavit, dein HOHENLOVS peſsimo cõſilio occurrere adventanti hoſtili exercitui, quem Martinus Scencus ducebat, ut obſeſsis auxilia ferret feſtinans, imprudentiuſque ad oppidum HARDENBERGAM cum eo confligens fuſus fugatuſq; fortunam publicam corrupit. Nam ad continuandam cum copiarum parte obſidionem relictus Comes GVILHELMVS, interea dum ille contra hoſtem it, auditâ ſuorum clade, & victorum adventu nunciato, cum omnia fruſtrà tentaſſet, quę tentari potuêre, coactus eſt fortunæ cedere, & obſidionem ſolvere, copiaſque in tutum reducere. Nec obfuit laudi ejus vel hilum fortuna illa minus proſpera, cum conſtaret alienâ imprudentiâ vul-

Pugna cladeſque ad Hardenbergam.

Obſidio Groningæ ſoluta.

tiâ vul

tiâ vulnus acceptũ ſanare ipſum virib. deſtitutum non potuiſſet. Quinimò ad laudẽ ei profuit, quod incolumi dignitate, ſine clade ſuâ reliquias fortunæ, velut naufragij tabulas, conſervaſſe diceretur. Acta hæc anno M D LXXX menſe Martio, Aprili, Majo, Iunio. Dein cum jam menſe Iulio Delfſilanum caſtellum in orâ Amaſi Lalainius copiis Scencanis auctus occupaſſet, & reliquis munitionib. quę in poteſtate ordinum erant, immineret, GVILHELMVS LVDOVICVS cum eodem Hohenloo, qui acceptâ à Norritio Anglicanâ legione benè validâ Lalainij præſidium caſtello Werdenbraſſæo, milliari uno magno ſupra Groningam ad Aham fluvium ſito, expulerat, & fugientes uſq; ad mœnia urbis hujus perſecutus fuerat, mẽſe Auguſto cũ firmâ aliquot cohortium manu COVERDIAM à Lalainianis inſeſſam contendit ad oppidũ cum arce recuperãdum. Ibidem oppido ſine labore recepto, cũ arcis vallo per primas tenebras in equo propius ſuccederet, ut ſi tentãda oppugnatio eſſet, ex vicino certius ſitum &

E formam

formam & cætera cognoſceret atque ocu-
lis quomodò poſſet, metiretur, globo ma-
joris tormenti à præſidiariis fortè diſploſi,
ictus vitam penè amiſit. Nam globus
ſex librarum in crus ejus ſiniſtrum paulum
infra genu illiſus crus illud confractum
contuſumque propemodum ei abſtulit.
Quo caſu percullſus, monitus ab Hohen-
loo & cæteris expeditionis ſociis, relictis
illic cohortib. ſuis Suollam in urbē pro-
ximam deinde Campos vehiculo delatus
fælici operâ medicantium & vitam reti-
nuit, & crus quomodocunque ſolidatum
ſervavit. Ex quo tempore pede quidem
iſto, quoties pedib. utendum ei erat, clau-
dus manſit, ſed nec animo vel tantillum
minor quàm ante fuit, & ad omnes eque-
ſtres labores tolerandos, ad curruum ſuc-
cuſsiones ferendas, ad alia itinerum in-
cōmoda ſuſtinēda æque alacris ac promp-
tus quàm prius eſſe comparuit. Interea
verò dum hic crus ſuum curat, Hohen-
lous in caſtris relictus Coverdiæ arcem
deditione capit, multaque alia tumultua-
rie hic illic tentat, ſed parùm proficit,

Com. Guilhelmus Lud. ad Coverdiam graviter tormento vulneratus.

Claudus factus.

Coverdia ab Hohenloo capta & amiſſa.

Coverdiam

Coverdiam etiam rurſus & Oldenſelam Tuentiæ, ac munitiones minores amittit, & preſſus à Lalainio hoſte in palûſtrib. Burtangæis cladem quoq; novam, quanquam non magnam, accipit. Reliquâ quoque anni parte, ingruente jam hyeme, & initio ſequentis, eâdem in viciniâ variâ viciſsitudine bellum geſtum, imprimis STEENVVICVM graviſsimâ obſidione pertinaciter à Lalainio preſſum, ac præcipuâ virtute & conſtantiâ IOANNIS CORNPVTII defenſum. *Anno 1581.* Lalainius quoque mœrore animi confectus, tum quod ſtimulis conſcientię aſsiduò pungeretur, tum quod videret plura ſibi adverſa quam ſecunda accidere, nec poſſe ſe iſtuc, quo per ſcelus venturum ſe ſperaverat, pervenire, GRONINGAE menſe Iulio ex hac vitâ deceſsit; eique ab Hiſpanicis ſurrogatus eſt FRANCISCVS VERDVGIVS, natione Cantaber, vír bello multò acrior Lalainio, quamvis genere multò minor. Hic igitur ut fortunam nutantem inſtauraret, proximis annis omnem movit lapidem. Captâ muni-

Lalainius mortuus.

Franciſcus Verdugius, Lalainio ſuffectus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

tione Reidanâ in extremo agri Groningani ad Amaſum angulo, ordinum copias, quas ducebat Norritius Anglus vir fortiſſimus, & bellis induratus, quarum partem etiam regebat Comes GVILHELMVS noſter, difficillimâ pugnâ exceptas ad Northormam hujus noſtri agri pagum celebrem profligavit: in quâ pugnâ COMES noſter adhuc juventâ calidus audaciſsimè ſe in hoſtem intulit, & exceptis corpore ſuo, quod ferro tectum erat, aliquot glandib. plumbeis, ita ferociæ hoſtium ſuo loco ſeſe objecit, ut niſi id animi habuiſſet, major clades accepta fuiſſet. Eâ verò victoriâ ferocior etiam, quàm erat prius, factus Verdugius nec uſquam ceſſans varia tentavit, & demum LOCCHEMVM oppidum agri Zutphanienſis, quod præſidio ordinum tenebatur, & contra vim probè munitum erat, ſubitò invaſit, obſeditque, & fame preſſum jam eo redegerat, ut de deditione cogitare obſeſsi neceſſe haberent. Sed idem GVILHELMVS NASSOVIVS, quâ erat induſtriâ

Pugna ad Northormam.

Locchemum à Verdugio obſeſſum.

induſtriâ & animi alacritate, contractâ celeriter militum manu idoneâ iſtuc advolans, perruptis obſidentium munitionib. & ſubmotis, qui objicere ſe volebant, commeatum, atq; alia ad ſuſtinendam obſidionem neceſſaria, in oppidum immiſit, & oportuno hoc auxilio lato oppidum ordinibus eo tempore conſervavit. Et cum Verdugius propoſiti pertinax plures contra oppidum munitiones ſibi oportunas ad premendos validius obſeſſos, & prohibendas commeatuum importationes opere feſtino excitaſſet, & jam res obſeſſorum in diſcrimine verſari viderentur, rurſus GVILHELMVS, ne fruſtranea opera ſua prior eſſet, juvante, & ex ordinum voluntate rei gerendę comitem ſe ferente HOHENLOO, & priorib. copiis auctis, promptiſsimo quoq; ex omni nobilitate & plebe Geldricâ iis adſcripto, eôdem profectus majore labore & diſcrimine, ut ampliore novo cōmeatu obſeſſi recrearentur, effectum dedit. Et cum tertiùm hoc idē cum Hohenloo feciſſet, coactus fuit Verdugius fremens & indignans

Commeatu à Com. Guilhelmo importato ſublevatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

copias ſuas iſtinc reducere, & oppidum ordinib. relinquere. Sed quieſcere neſcius, interea dum pro libertate pugnantes hic illic loca alia occupāt, ipſe STEENVVICVM nuper tanto labore & impendio defenſum per inſidias invadit capitq; & majoribus operib. munito validum præſidium ad premendam Friſiam cæteroſque vicinos imponit. Et hæc quidem in Friſiâ & Geldriâ lociſque proximis. Interea verò in reliquis Belgii regionib. maximæ ſunt rerum converſiones factæ. A morte nimirum REQVESENII, qui duci ALBANO in gubernando Belgio ſucceſſerat, & conventione Gandavenſi, quâ pax inter diſsidentes in Belgio partes ſancita erat, & diſceſſu IOANNIS AVSTRIACI, qui Requeſenio ſurrogatus à rege fratre fuerat, & turbare omnia, & concordiam Ordinum ſolvere tentaverat, ab adventu abituq; MATHIAE AVSTRIACI, quem gubernatorem ſibi Belgici ordines delegerant, poſt indultum de religionis purioris uſu atque exercitio libero ſub Mathiâ publicatum,

Steenvvicū à Verdugio captū 1582 menſe Novemb.

Belgii Rectores pro Hiſpano, & contra eum.

catum, ALEXANDER FARNESIVS Italus, Parmæ & Placentię dux, ab Hiſpaniæ rege in Belgium miſſus erat, & quâ erat ingenii ſolertiâ, ac in agendo induſtriâ, exitiales factiones in Arteſiâ, Hannoniâ, Flandriâ contra generales Ordines ac eorum decreta excitaverat, provinciaſque illas in regis Hiſpaniæ partes retrahere ſategerat: ſimul vocatu eorundem Ordinum Franciſcus Valeſius Andium dux, Galliarum regis frater, in Belgium venerat, & non gubernator provinciarum, ſed princeps jure optimo, ſalvâ priſcâ populorum libertate & privilegiis, ab iiſdem ordinib. ob urgentia undequaque diſcrimina renunciatus, ſed ob levitatem & peſsimam fidem, quâ Antverpiam opprimere conatus fuerat, rurſum repudiatus & regione decedere coactus erat. Sic occaſio Farneſio data pertexendi telam ſuam, quam in provinciis jam dictis cœperat, & novam in Brabantiâ ordiendi. Geldriam tum GVILHELMVS BERGENSIS Aurantii & Ioannis Naſſovii ſororius, Flandriam CAROLVS CROVIACVS CHI-

Franciſcus Valeſius anno 1583.

Guilhelmi Bergenſ. & Caroli Croviaci levitate res fœderatorum afflictæ.

MAEI

MÆI princeps, ducis Arſcotani filius, uterq; ingenio leviſsimo, regebant. Quorum ille cum conſultò provinciam ſuam negligenter adminiſtraret, ut occaſiones hoſtib. daret, Ioannes Baptiſta Taxius Farneſii auſpiciis per inſidias nocturnas ZVTPHANIAM occupavit, urbem nobilem ad Iſalam fl. Geldriæ connexam, oportunam ad reliqua Geldriæ, maximè verò quæ in Velaniâ ſunt, infeſtanda. Itaque omnia ab ordinib. tentata magno ſtudio ſunt, ad eandem recuperandam, ſummèq; in eo laboratum ab Hohenloo Aurantii genero, ſed operâ inani, Verdugio ſuppetias periclitantib. Zutphanienſib. aſsiduò ferente. Bergenſis detectus, & perfidiæ convictus, cuſtodiæque in Hollandiâ traditus, dein culpam deprecatus, & certâ lege ac juratâ fide dimiſſus, non multò poſt neglecto juramento palàm ad hoſtes tranſiit. CROVIACVS verò egregius ſimulator, religionis reformatæ ſtudium ſincerum præ ſe ferens, illius myſteriis aſsiduò communicans, interim varia conſilia verſans, tãdem tractis

in ſen-

in ſententiam ſuam BRUGENSIBUS, apud quos degebat, ipſis Eidib. Maij anno MDLXXXIIII cum civitate in fidem Farneſii ac regis Hiſpani ſe contulit, maliſque, quæ inde ſecuta ſunt, januam aperuit. Inter quæ Aurantius diverſiſsimis & graviſsimis curis preſſus revocato ex Friſiâ Bernardo Merodio legato ſuo, viro cæteroqui conſiliis & manu contra hoſtem egregio, ſed animis liberioribus tractandis non æquè commodo, GUILHELMUM noſtrum fratris ſui filium annos jam natum XXV eòdem miſit, qui vices ſuas ibi gereret.

Com. Guilhelmus Lud. Friſiæ prorector.

Erat ſanè tum FRISIAE quoque ſtatus poſt vicarium Lalainii imperium depulſum, & præſidia ejus munitionibus paſsim, præſertim Leovverdiæ & Harlingæ dejecta, & Hiſpaniſſantium factionem regione excedere juſſam, ut ſolet in magnarum mutationum initiis ferè accidere, ſatis adhuc informis & rudis, & quaſi nutans.

FRISIÆ ſtatus.

Populus verò tum naturâ, tum vetuſtiſsimo majorum inſtituto ſuper cæteros omnes

in Belgio liber, & ex nuperâ ſervitute tunc recens veterem libertatem repetens, & vix-dum ex turbarum tempeſtate emergens, licet jam ordinem aliquem regundæ reip. non ita nuper ab optimo & ſapientiſsimo principe accepiſſet, tamen ut mare tempeſtatibus vix-dum ſedatis, difficulter quieſcere, ac in concordiam coire, & ordini novo ſe ſubmittere poterat. Non enim omnes, qui in patriâ ſibi manendum putabant, ut res ſuas domi poſſiderent, Hiſpaniſſantes animos exuerant, nec omnes, qui Hiſpanos oderant, & libertatem amabant, unum & idem de rep. ſentiebant. Nam & nobilitas ac plebs in agris degens à civitatibus diſsidebant, & ſumma curia à collegio IX-virûm, quod ampliſsimæ poteſtatis erat, & belli paciſque negocia moderabatur, diverſum ſentiebat, & de comitiorum ipſorum, quæ totum populum referebant, ſummamq́ue poteſtatem tenebant, jure inter ordines diſceptabatur: ac quamvis Papaniſmus è templis profligatus erat, tamen Papani maximo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

numero in viſceribus reipub. hærebant. Quæ omnia rationem tenendarum habenarum eo tempore apud Friſios difficiliorem faciebant. Accedebat, quod Lalainiano facinore GRONINGA urbs potens & valida, quæ, ut tum res erant, imperii ſui fines cum hujus Friſiæ, de quâ loquimur, finibus conjunctos habebat, & hujuſce cervicibus potiſsimum imminebat, ab Hiſpanis, ut oſtendimus, tenebatur, qui illic belli arcem præcipuam in his vicinis Belgii regionibus conſtituerant, eiſque Verdugium Hiſpanum acerrimum virum, ſive conſilio ſeu manu eſſet opus, præfecerant. Ex quibus quis non videt, quid jam tum huic fratris ſui filio adhuc juveni perſpicaciſsimus & cautiſſimus princeps patruus tribuerit, cum ad iſtius navis clavum eum collocavit? Animadvertit ſcilicet regendis animis liberis, & eorum fluctibus ſedandis ingenium ejus moderatum, manſuetum, prudens, libertatis patiens, & amans, apprimè eſſe idoneum; & armis contra hoſtes quid poſſet, plurimis experimentis cognitum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

habebat. Nec eum hac in re judicium fefellit. Sic enim Guilhelmus in omnibus muneris ſui novi partibus ſe geſſit, ut ubique ſe populo probaret, & apud omnes, qui patriam & libertatem diligerent, gratiam & amorem reperiret. Itaque cum vix quadrimeſtri in hac vicariâ poteſtate impleto patruus Aurantius nefario Hiſpanorum ſcelere cecidiſſet, verus ille populi pater, qui hactenus ſolus provinciarum omnium per Belgium pro libertate facientium ſummus rector & præſes fuerat, ipſe à populo FRISIAE GVBERNATOR expetitus & deſignatus, & diplomate Ordinum generalium in muneris hujus poſſeſſionem immiſſus fuit. Reliquarum provinciarum gubernatio ob honorem parentis conſenſu ſummo reſervata fuit cum maris præfecturâ Aurantii filio MAVRICIO ex matre Saxonide annum vitæ tum agenti XVII, eique ad tempus legatus ſupremus PHILIPPVS HOHENLOVS ſororius datus, qui quod ætati ejus deerat, ætate jam maturus ſuppleret.

Guilhelmi principis Aurantii mors.

Com. Guilhelmus Lud. Naſſ. gubernator Friſiæ factus.

Verum,

Verum, bone Deus, quam luctuoſa ſtatim ſecuta ſunt tempora, perinde ac ſi heros Aurantius quod reliquum fortunæ fœderatorum in Belgio erat, decedens ſecum abſtuliſſet! Quis clades illas & reipub. detrimenta, quis caſus adverſos, & in arctum redactam fœderatorum ac libertatis ſortem, ſtatumve, quis gemitus & angores piorum Belgarum ſine lachrumis commemoret? cum exemplum BRVGENSIVM à Carolo Croviaco ſeductorum ſecuti GANDAVENSES primùm, deinde IPERENSES, cęteriq; FLANDRI Farneſio ſe permiſêre, ANTVVERPIA ipſa urbium Belgii regina ab eodem Farneſio obſeſſa, SYLVA DVCALIS expulſis ſuſpectis & religionem puriorem profitentibus, arctius quam antè cum hoſte conjũcta, BRVXELLA & MECHLINIA diſertis Ordinib. Farneſio quoq; traditæ. Deniq;, Antvverpia poſt longã obſidionẽ, clauſo Scaldi fl. deſperatis auxiliis in ejuſdẽ etiam poteſtatẽ redacta: adhęc confugium apud Gallię regem delatis ei nequicquam ampliſsimis cõditionib. fruſtrà quęſitum: ex

Belgii mala ſecuta mortẽ principis Aur.

deſperatione ad Anglos rurſus itum, eorumque reginæ deditio oblata; à reginâ deditione rejectâ ROBERTVS DVDLEIVS LEICESTRIVS in ſubſidium miſſus: qui res gerere aggreſſus dum nimium hominib. ineptis & vanis credit, & vafris ac perfidis fidem habet, dum iis, qui pietatem ſed ſine prudentiâ præferebant, plus quam debebat, obſequitur, dum non malitiâ, ſed incuriâ, aut ingenii defectu, forſan etiam ambitione peccat, dum diverſis ſtudiis & factionibus populum ſcindit, contraque proceres & magiſtratum concitat, poſt infinita impendia & occaſiones rei gerendæ neglectas, multo deteriore loco illas collocavit & reliquit quam acceperat. Tum verò reip. Belgicæ fortuna & bonorum ſpes poſt DEVM immortalé in duobus Naſſoviis cum Hohenloo poſita fuit. E quibus noſter hic natu major, & rebus agendis ipſe jam par, tum domi reip. conſulebat, & diſsidia ſolerter componebat, tum foris in hoſtem curas intendebat, eumq; aut incurſionibus prohibebat,

Robertus Dudl. Leiceſtrius.

bebat, aut munitis ac idoneis locis exuebat. Scilicet reconciliatis diſsidentium animis collegium deputatorum provinciæ ſuæ, quod Franekeram ſeceſſerat, in ſedem priorem Leovverdiam reduxit, controverſiaſq; prudenter & feliciter ſopivit. Eodemq; tempore præparatis neceſſariis cum nequicquam STEENVVICVM per menſem Martium tentaſſet, non procul inde commodis locis occupatis caſtella ſubito opere excitavit, & præſidiis militaribus impoſitis ab eâ parte Sylveſtrem Friſiorum tractum contra invaſiones hoſtis tutiorem fecit. Menſe autem Aprili cum querentes ſuos audiſſet in regione trans Amaſum ſtudio quorundam Hiſpaniſſantium variis incommodis affici, & injurioſius tractari omnes, qui in fide fœderatorum eſſent, regios verò fœderatorum eorundem hoſtes non ſolum haberi benignè, ſed etiam modis & reb. omnib. juvari, eſſeq; illic in ſummâ gratiâ, ipſe datis ad regionis iſtius ordines prolixis literis monuit eos graviſſimè, darent operam, ut id corrigeretur,

Diſsidia inteſtina Friſiorum compoſita.

Res bello actæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

cum cōminatione talionis, ſi in eo perſeveraretur: in quam rem oſtendit, nec vires nec animos ſibi & fœderatis eſſe defuturos. Obtinuitq; hoc, quod voluit. Simul induſtriâ ſuâ cis Amaſum effectum dedit, ut jam nullum omninò præſidium potentiſsimus & acerrimus hoſtis, nullam munitionem teneret in ipſius provinciâ, eâ ſcilicet Friſiæ regione, quæ Lavicâ & Flevo fluminib. clauditur, ipſe autem auſpiciis ordinum ejuſdem provinciæ ſuæ caſtella non pauca in hoſtili ſolo hic illic in poteſtate haberet, per quæ & hoſtem finibus ſuis averteret, & hoſtilem agrum ad pendendum tributum adigeret, & ipſi Groningæ hoſtis ſedi, bellique arci aunonam redderet arctiorem, & pecuniæ rationem ſimul faceret difficiliorem, denique bellum apud hoſtem in ſolo illius cum ſummo ejus detrimento aleret, provinciam ſibi commendatam à belli incommodis præſtaret immunem. Sed nihil tàm benè curari poteſt, ut ſæviente Marte non aliquid interdum incommodi curatis accidat.

Quod

1586

Clades BVXVMANA in Friſiâ abſente gubernatore accepta anno 1586, die 17 Ianuarij Iuliani.

Quod tum Friſia quoq; ſenſit. Nam cum mediâ hyeme ſæviente fortè aſpero & diuturno gelu concreta eſſent omnia, & invia jam pervia jacerent, nec obſtare caſtella ac præſidia poſſent, & novæ tum copiæ prædarum avidæ à Parmenſi Groningam veniſſent, & Gubernator GVILHELMVS in Hollandia reip. cauſâ abeſſet, Verdugiani occaſione raptâ, ductoribus Oſualdo Comite Bergenſi, & Taxio militiæ peritiſsimo, confecto non temnendo exercitu in provinciam hanc invaſerunt, & parte Oſtergoæ protritâ in VVeſtergoam penetrarunt, & intimis ejus uſque in Flevum fœdè direptis, multiſq; etiam nefariè contra militiæ jus patratis, cũ ingenti prædâ, & magno captivorũ numero BVXVMVM reverſi, qui vicus eſt VVeſtergoę non procul Leovverdiâ diſsitus, obvias adverſæ partis copias validas à Stenone Maltzio Dano abſentis gubernatoris legato ſubitò coactas difficili prælio ſuperarunt, amiſſis ſuorum nõ paucis cum Comite Oſualdo; cęteri verò cũ Taxio & prędâ divite in tutũ redierunt. Fuit ſanè hæc clades ut per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſe atrox, ſic ob metũ, qui mox ſecutus eſt, provinciæ toti penè exitialis. Nam callidiſſimus hoſtis variis rumoribus ſparſis ita perculſum populum conterruit, præſertim cum gelu remiſſum vires reſumpturum videretur, ut omnis ager, multi quoque oppidani, qui agri commerciis carere non poterant, partim apertis, partim occultis tributis penſitandis ei ſe manciparent. Vnde miſerrima conditio provinciæ conſecuta fuit, nec quicquam extra oppida totâ regione tutum, aut ſecretum ob tributi conditiones reliquum videbatur. Et utebatur aliis quoque artibus iſto tam afflicto tempore idem Verdugius, conductâ operâ eruditi, ſed æquè pravi hominis, Franciſci Baudemontii, qui Aurantio quondam à ſecretis, dein ordinum Friſiæ ſummus ſcriba, ab hiſq; ob nequitiam munere nuper dejectus fuerat, ejuſque ingenio libellis virulentis in totam fœderatorum remp. & gubernationem conſcriptis, & paſsim in plebem diſperſis, ut eam ad excutiendam ordinum poteſtatẽ, & projicienda onera,

Franciſci Baudemontii improbitas.

quæ

quæ ab his imponebantur, concitaret. Sed occurrit his malis, quantum in ſe fuit, adjutus ſapientiâ & conſtantiâ eorum, qui ſecum rebus præſidebant, reverſus ad ſuos prudentiſsimus & fortiſsimus GVBERNATOR. Is expeditis negociis, quorum cauſâ ex voluntate generalium ordinum penè invitus diutiuſculè in Hollandia & Selandia manſerat, cum metueret ob hyemis conditionem tale quid occæpturum hoſtem, quale accidit, poſthabitâ hyberni itineris difficultate feſtinans in Friſiam trajectu Flevi, qui Hollandiam à Friſiâ duorum ferè milliarium Germanicorum intervallo dirimit, non parvo ſe periculo mirantibus multis expoſuit. Nam ita conſtrictum gelu fretum jacebat, ut nec navigari ob glaciem, nec pedibus equiſve, aut vehiculo trajici ob ejuſdem glaciei vel fragilitatem, vel hiatus ingentes, quos maris ęſtus effecerat, poſſet. Quaporpter cum paucis ſcaphulam ingreſſus Enchuſæ, eâ, quâ glacies firma patiebatur, trahæ loco uſus eſt, quâ aut fragilior, quam ut pondus ferre

Periculoſum ac moleſtum iter Com. Guilhelmi gubern. in Friſiam reversentis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Ejus reditu Friſia recreata, & malis obviam itum.

poſſet, aut aquis interrupta erat, pro navigio habuit, interque diſcrimina & incommoda varia Staveram tandem incolumis pervenit, cum jam Taxius Friſiâ exceſſiſſet. Ejus adventu, velut felicis ſideris ortu recreati Friſiæ proceres, quibus cura reip. incumbebat, animos fortiores reſumpſêre, & abjectis conſiliis deterioribus locum melioribus dedêre. Simul ſategit gubernator, ut acceptis quàm ocyſſimè ex Hollandiâ auxiliis, Verdugio concepta vafra conſilia abirent in fumum. Quam ob rem efferatus hic hominem perditum Michaëlem Lauterbechium pecuniâ conductum in Friſiam miſit, qui per inſidias optimum reip. cuſtodem & vindicem perimeret. Sed is ſceleratâ fraude detectâ & ſceleris miniſtro apprehenſo, pœnęq; ſubjecto per DEI gratiam periculum evaſit. Ejus porrò prudentiæ & ſolertiæ tributum tunc fuit, quod intereà dum cæteræ provincię fœderatę, actis LEICESTRII ANGLI, & eorum, qui factionem ejus ſequebantur, turbatæ in ſummum diſcrimen devenêre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Friſia ab ea peſte, heic quoque ſe commo- 1587
vente, maturè ſit liberata, atq; ab incom-
modo majore præſervata. Præterea ſpon-
te ordinum, ipſo ſuadente, abrogato more
de tertio quoq; viro per omnem agrum
poſcentibus periculis armando, & ejus
loco majore tributo ad augẽdum numerũ
militum ſtipendiariorũ admiſſo, fines &
operib. & præſidiis ita ſunt communiti, ut
hoſtis proximis temporib. in Friſiam ten-
tare vix quicquam fuerit auſus. Nec hoc *Groninga per inſidias appetita menſe Septembri.*
ſolo contentus, ipſam belli arcem GRO-
NINGAM per inſidias nocturnas ultrò ap-
petere non dubitavit: adduxiſſetq; eam in
ſummũ diſcrimen, cunctis benè & ſoler-
ter paratis, niſi inopino æſtu maris majo-
re, quales in noviluniis ac pleniluniis aut
lunæ quadraturis ſolent accidere, conatus
ejus fuiſſet impeditus, & mox conſilium
hoſti detectũ. In fine hujus anni, qui erat
MDLXXXVII, LEICESTRIVS de ſucceſſu *Leiceſtrii è Belgio diſceſſus.*
conſiliorum & rerum ſuarum in Belgio
deſperans, reſignato, quod gerebat, guber-
nationis munere, & rep. Ordinib. fœdera-
tis cõmendatâ, animo haud ſatis æquo ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

1588 Selandiâ in Angliam diſceſsit. At initio anni ſequentis Didericus Sonojus Hollandiæ borealis pręfectus, qui partes Leiceſtrianas impenſius illic foverat, adhuc mandatis Ordinum contumax, ductu principis MAVRICII oppugnatus, & tandem cedere fortunæ coactus fuit. Interim fama crebreſcebat claſſem Hiſpanicam ingentem longo tempore, & maximo ſumptu à rege inſtructam cum numeroſo & valido exercitu contra reginam Angliæ, & fœderatos Belgas brevi eſſe adventuram, quæ meritò & Anglos & Belgas habebat ſollicitos, eorumque curas ad tuendam communem fortunam ac ſalutem acuebat. Illa verò adveniens, quod factum æſtate mediâ, ab Anglis & Hollandis Selandiſque excepta animoſè, & vehementer turbata, dein tempeſtate exortâ fœdè disjecta multò maximâ ſui parte heic illic ſcopulis illiſa & fracta, undiſque hauſta eſt: reliquiæ laceræ vix in Hiſpaniæ portus rediêre. In mediis his curis, & imminentib. à claſſe periculis graviſsimus dolor domeſticus Comitem

Claſsis Hiſpanicæ fœdus interitus

noſtrum

noſtrum GVILHELMVM inopino caſu perculit. Nam cariſsimam conjugem, quâ cum intra vertentem annum nuptias inierat, patrui Aurantiæ principis filiam, moribus ejus aptiſsimam, prægnantem implacabilis mors ei abſtulit. Qui caſus quàm graviter animum ejus ſauciarit, vel hinc quis æſtimet, quod ab eo tempore, quanquam per annos XXXII in vivis ſuperfuerit, & fortunam ſæpius ſecundam quàm adverſam ſit expertus, & ὑγιείαν ut plurimum propitiam habuerit, tamen à repetendo matrimonio abſtinuerit, planè ut cum dilectiſsimâ ANNA ſua affectum quoque omnem conjugalem ſepeliiſſe videatur. Nec tamen tantus hic dolor animum ejus à faciendo officio & curandâ rep. potuit avertere. Etenim per ſpeculatores cum cognoviſſet caſtellum DELFSILANVM potiſsimo Groningenſium portui impoſitum in Amaſi orâ, cæteroqui probè contra inſultus hoſtiles munitum, id vitii habere; ut quâ agger ab occiduâ parte vallo conjungebatur, aditus ad portam, nullâ foſsâ prohibente, pateret,

Luctus gubernatoris ex morte conjugis.

die 13. Iunii.

Conſilia & conatus per inſidias occupandæ Delfſilæ, an. 1589.

pateret, ſolo verò ſepto ligneo firmi operis clauderetur, hùc curas & conſilia ſua vertit, ſperans machinis portatilibus, quibus disjici opera hujuſmodi & portarum clauſtrâ confringi ſolent, & ſeptũ, & portam ipſam per tenebras noctis militi ſuo recludi poſſe. Nec mora, militem, alia omnia ſimulans, in Friſiæ litore loco idoneo navigiis imponit, præfectumq́ue adjungit belli maximè peritum occultis à ſe mandatis inſtructum: rumorem verò curat ſpargi apud vulgus, prȩſidii mutandi gratiâ hunc militem ad caſtellum OTERDVMAEVM duobus paſſ. millibus ſupra Delfſilam ad eundem Amaſum ſitum, quod in poteſtate Ordinum fœderatorum erat, ipſius & Friſiorum imperio militari ſubjectum, mitti. Simul ut mentes & curas hoſtis à Delfſilano caſtello prorſus averteret, cohortes alias ſub duce alio ad tentandum caſtellum EMOTILLANVM non parvas commoditates hoſti præſtans, in agro Groningano ad rivum navigabilem paſſuum millibus quatuor verſus occidentem ab urbe diſtans,

Caſtellum Emotillanũ à Com. Guilhelmo gubernatore expugnatum die 10 Martii.

emittit,

emittit, aſtuq; in primo aggreſſu adjutus fortiſsimâ ducis operâ & militum ſtrenuitate per tenebras noctis expugnat. Tum ſine morâ cum majorib. ipſe copiis ſe commovens, eôdemq́; contendens, velut victoriam eâ in viciniâ longius perſecuturus, & plura ad premendam ipſam urbem occupaturus, hoc apud hoſtem inopinâ re conſternatum efficit, ut is ad conficiendum exercitum, quem opponeret, evocatis undequaq; militibus, monitiones in orâ Amaſi & Dullarti, ipſumq; caſtellum Delfſilanum præſidio penè nudaret, quod in votis maximè gubernator noſter habebat. Caſtris verò ad EMOTILLAM poſitis & communitis, caſtellum captum ampliato vallo foſſâq; intra XXXV dierum ſpacium in conſpectu ipſius Verdugii, qui cum ſuis, quos contraxerat, iſtuc accurrerat, & nequicquam aſſultans laborantes turbare, & caſtra invadere conatus fuerat, majus & validius, ut ſuſtinere hoſtilem vim poſſet, reddidit, firmoq́; præſidio ei impoſito revertit in ſua. Ita irritus conatus alter de occupandâ Delfſilâ, cujus

Caſtellum Emotillanum à gubernatore majoribus operibus munitum, adſpectante Verdugio hoſte.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

fortunam, ſeu inſcitiâ, ſeu malitiâ, unius ſolius hominis Galli machinæ magiſtri, qui ſe, artem & operam ſuam multâ vanitate venditaverat, culpa, cùm cætera conſilio & ſpei probè reſponderent, corrupit, hoc præclaro ſucceſſu egregiè compenſatus fuit. Hoc enim præſidium fauces penè urbis obſidens nihil propè tutum eâ parte ad ipſa uſque mænia urbi reliquit. Nec verò heic conſtitit gubernator reip. curis & commodis intentus, ſed majora animo verſans, cum quid Verdugius poſſet, ad Emotillam propè perſpexiſſet, per celeres nuncios & literas duorum triumve millium militum auxilium rogat à patruele Mauricio, & fœderatis ordinibus. Quod ſi impetret, ſpem ſibi eſſe oſtendit, occupatis, quę in orâ Amaſi hoſtis haud magnis præſidiis teneat, belli in hac viciniâ brevi tempore finiendi, Verdugiumque Groningâ expellendi. Verum tantum abſuit, ut quicquam hujus tunc impetraret, ut ab eo etiam cohortes aliquot ad ſuſtentandam belli fortunam ad proximos fines Brabantiæ peterentur.

Nam

Nam præſidium, quod Gertrudis Montem tuebatur, locum longè maximi momenti ad infeſtandam Brabantiam, in rebellionem verſum erat, ejuſq; obſidionem princeps Mauricius tunc temporis parabat, & Heuſda quoque ab hoſte in ſummo periculo verſabatur. Itaque hac dejectus ſpe, id quod ſuis viribus licet diminutis (nam cohortes aliquot ſub legato ſuo Sidniſkio Bohemo ad patruelem dimiſerat) effectum dare poſſet, tentaturus, munitione apud Iouvveranos raptim excitatâ, in quem locum Verdugium oculos conjeciſſe ad infeſtandam inde Weſtergoam cognoverat, ab alio cœpto Verdugij occaſionem rapit REIDÆ in Amaſi & Dullarti confluente invadendæ. Verdugius quippe, ut vicem noſtro rependeret, caſtellum vetus VPSLACHTVM ad exitum amnis navigabilis, qui caſtellum aliud Neoſylanum, ab aquarum clauſtro ſic dictum, & Emotillam perluit, extructum, variâque ante hac fortunâ jactatum, ſæpè à noſtris, ſæpè ab hoſte poſſeſſum, tum

Vpſlachtum à Verdugio munitum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

verò complanatis munitionibus deſolatum, ducto illuc robore copiarum ſuarum ſubito opere cœpit inſtaurare fluente mēſe Iunio in magnos belli uſus. Nam iſtinc per æſtuarium non latum in adverſam Friſię oram tranſvecto milite quotidianis incurſibus diripere & vexare ac ſub tributa cogere maximè opimam Oſtergoæ partem ſe poſſe rebatur. Dein Neoſilanos pariter & Emotillanos commeatu è Friſiâ prohibere, & variis incommodis afficere, omninoq́ue fortunam eorum in arctum redigere ex hoc caſtello non difficile ſibi futurum putabat. Quod cum ſollicitum gubernatorem noſtrum haberet, impediendo hoſtis inſtituto rationes initurus, milites circiter ſeptingentos naves conſcendere jubet: cum his ipſe in oſtium Huneſi fluminis ſub oculis Verdugii enavigat, & in orâ Hummerciorum cohortes exponens diligenter diſpicit, an majoribus tormentis commodo loco collocatis, & in laborantes diſploſis impedire opus Verdugianum poſſet. Quod cum fruſtraneum eſſe

Com. Guilhelmus Verdugium in muniendo Vpſtachto impedire conatur.

videret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

videret, aliud turbandis hoſtis conſiliis animo concipiens, milite rurſum navibus impoſito, & claſſe in hoſtium conſpectu ſtare in ancoris juſſâ, ipſe celeriter Doccumum contendens, oppidum ei orę proximum, ubi Ordinum Friſię deputati præſentes aderant, in eorum conſeſſu conſilium ſuum exponit, eoq; poſt auditas rationes non improbato, ſubitò ad claſſem reverſus, obſervato commodo ad fallendum hoſtem tempore ſublatis velis per æſtuarium in Amaſum defertur, & vento æſtuque ſecundante per Amaſum, relictâ ad dextram Delfſilâ, poſtero die ſub veſperam circumvectus REIDAM caſtellum hoſtile, loco, opere, præſidio cum primis validum, & Dullartum ſinum ad duo paſſuum millia ſubvectus non ſine periculo ad clauſtrum aquarum in aggere defoſſum, cui Suachico nomen erat, militari vallo quoque utcunque communitum, in terram deſcendit, ut eo occupato hoſti aditum omnem ad ferendas Reidanis ſuppetias intercluderet, & ſimul commeatum, qui EMDA illac Groningam

Reidæ occupandæ conſilium captum.

ningam frequenter ſubvehebatur, poteſtatis ſuæ faceret. In quo oppugnando dum eſt, advolat cum equitum tribus decuriis ipſe Verdugius, relictis, quot res poſcebat, in opere Vpſlachtano, reliquis copiis pedeſtribus quàm celerrimè ſubſequi juſſis, videtque ex proximo præſidium tormentorum fulminibus impetitum, & in pavorem datum, ante peditum ſuorum adventum cum munitione gubernatori ſe tradere. Comes gubernator collocatâ illic militum manu, qui operibus firmioribus locum occupatum munirent, & tuerentur, ac duabus celocibus cum tormentis & claſsiariis, quæ ex ſinu in oppugnatores fulminarent, ibidem relictis, magno labore per limoſa & invia exercitum iſtinc REIDAM cum duxiſſet, ad invadendas munitiones ejus loci omnia magno ſtudio & curâ parat. Sita eſt

Reidæ ſitus. REIDA in extremo angulo agri Groningani velut promontorio longo ſed anguſto inter Amaſum fl. & Dullartum ſinum in undas porrecto orientem verſus, ex obliquo Emdam trans Amaſum intuens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſtationes navium commodas utroque in latere habens. Eum locum hoſtes duobus caſtellis occupaverant exiguo admodum intervallo disjunctis, quorum alterum templum ſolo editiore ambibat, alterum ſolo humiliore in ipſas aquas procurrebat, ita poſita, ut ſibi mutuo tormentorum fulminibus auxilio eſſe poſſent. Erat ad initium terræ hujus anguſtæ, linguæ inſtar in undas ſe porrigentis, vetus agger, quo ipſa à reliquo agro dirimebatur. Hunc commodè in rem ſuam vertit gubernator. Nam utrâque in extremitate ejus, quâ utrumque latus linguæ procurrentis contingit, munitionem contra hoſtem ſubito opere excitat, præſidiumque imponit, intermedium aggerem cum foſſâ præcingente pro vallo tranſverſo contra incurſum hoſtilem uſurpat. Hoc modo omni ſpe ferendi auxilii Verdugium, qui non procul inde in vico Muntano ad Amaſum cum exercitu conſederat, excludit. Tum fulminibus tormentorum oppugnationem aggreſſus nullo interim labori ſuo aut peri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

culo parcens, inter caſtella ſua ad aggerem excitata aſsiduò diſcurrens, milites in ſtationibus ad eundem aggerem collocatis, & qui in caſtellorum præſidio erant, exhortans, ac ad vigilantiam & fortitudinem exſuſcitans, omnibus ubiq; inſtans, nec noctu nec interdiu quieti indulgens, ita obſeſſos pavore conſternavit, ut tertio poſt oppugnationis initium die, cum viderent ad invadendum vallum milites ſtare paratos, abjecto propugnandi propoſito ſeſe cum utrâque munitione ei dederent. Quod ut gaudium ingens noſtris, ſic incredibilem dolorem Verdugio & Groninganis dedit. Victor pro caſtellis duobus unum majus & validius in extremâ orâ in ipſo aquarum confinio, feſtino opere aſpectante hoſte conſtruxit, & firmiore militum præſidio muniit, Leovverdiamque rediit incolumis cum incolumi milite, menſe Iulio vergente. Intereà, ut conſtituerat Reidam iturus, Neoſilæ, ductu legati ſui Sidniſkii commeatus copioſus erat illatus, qui & præſidio illi, & Emotillano ſufficeret, quanquam

Reida Com. Guilhelmo dedita, & ab eodem munitionib. novis aucta ſub oculis Verdugii.

quam

quam in reditu aliquid incommodi ab hoſtè apud Gryphiſkerkios acceptum: unde occaſio jurgii inter ſummos præfectos exorta, quod ſopirì niſi jurgantium dimiſsione ac diſceſſu non potuit. Haud multò pòſt CAROLVS MANSFELDIVS auſpiciis regis Hiſpanici exercitum ducens Moſam trajicere parabat, ut provincias fœderatas invaderet, contraque eum copias inſtructas in inſulâ Vornenſi princeps MAVRICIVS annum ætatis tum agens XXII habebat. A quo noſter hic & ſimul à Senatu Ordinum rogatus, petitâ copiâ à deputatis provinciæ ſuæ, eôdem cum expeditis copiis quàm celerrimè profectus, rejecto ab hoc conatu Mansfeldio, cum in Friſiam rediſſet, ut inutiles Verdugio redderet munitiones Vpſlachtanas, militeſque in præſidio illic agentes comprimeret, circiter Nonas Octob. Soltcampum non procul inde in orâ Marnenſium ſitum, & Huneſi amnis æſtuario ab iis diremptum, quod Verdugiani tenebant, repentè cum exercitu invadit, & crebris tormentorum majorum ictibus

Com. Guilhelmus cum copiis expeditis ad pr. Mauricium profectus.

Domum reverſus Soltcampum, caſtellum hoſtile expugnat die 10 Octob. in conſpectu hoſtium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

non à terrâ ſolùm, ſed ex navibus quoq; per aliquot dies quaſſatum, vallo jam hîc illic disjecto, invocato ante incurſum per univerſum exercitum divini numinis auxilio, apertâ vi adortus expugnat, præſidiarios temerè magis quàm fortiter agentes, cum inhibere manus iratorum militum in pugnâ non poſſet, maximâ parte cædit. Id factum die x Octobris, cum ferendi auxilii cauſâ Bergenſis primùm, deinde ipſe Verdugius copiis haud paulò majoribus, quàm quas ſecum Comes GVILHELMVS adduxerat, inſtructi eôdem accurriſſent, ſed foſsis frequentibus impediti, quod cura GVILHELMI prævidérat, accedere propius, & impetum dare in oppugnatores non poſſent: ſcilicet ut ſpectatores illuſtris victoriæ noſtrorum fierent, & dolorem ex eâ caperent acerbiorem. Victoriâ hac rurſum potitus heros noſter cum anguſtiam caſtelli capti damnaret, eo everſo novum ibidem longè majus & operibus firmius ſtruere ſtatim cæpit, promptiſsimâ ſuorum operâ, quos præmia incitabant, hanc

Solteampum majorib. operib. à Com. Guilhelmo munitum.

ad

ad rem rurſum uſus: nec ante XI diem Novemb. quamvis morbo correptus & lectulo affixus cum cœli ſerenitas urgendo operi oportuna arrideret, inde deceſsit, copiaſque labore jam feſſas, præſidio, quantum ſatis erat, ibidem relicto, in hyberna reduxit. E Friſiâ Hagam profectus cum in Ordinum fœderatorum concilio deliberaretur de rebus in futuram æſtatem agendis, ipſe graviſsimâ oratione ſuaſit tria hæc: primùm ut talis ratio iniretur, quâ ſtipendia militibus promptè & ſine vitio ac morâ perpetuò ſolvi poſſent, in quo maximum ad res benè gerendas eſſet momentum: deinde ut milites adſuefierent foſsionum, aliiſque laboribus, quos uſus poſceret, quod & ipſis & reip. plurimum eſſet profuturum: tertiò ut pulcherrimâ occaſione prehenſâ, quam DEVS ex bello inter Gallos & Hiſpanos conflato ad diſtinendas Hiſpaniæ regis vires quaſi cœlitùs porrigere videretur, ſummo ſtudio, ſummis viribus, non, ut hactenus, tuendis finibus contra hoſtes, ſed invadẽdis ultrò iis, quę hoſtes

Oratio Comitis GVILHELMI Hagæ in concilio Ordinum fœderatorũ, tria ejus conſilia complectens.

tenerent, bellum gereretur. Quod ultimũ etſi tum non omnibus perſuaſerit (erant quippe diverſæ diverſorum ſententiæ) tamen eos aculeos in animos plurimorum reliquit, ut anno ſequente in eam ſententiam decretum ab omnibus ſit factum. Reliqua duo facilè perſuaſit. Verum ipſe jam eo tempore bellum hujuſmodi ſeriò meditans cum rediſſet ad ſuos, hos variis modis in armis exercere, haſtas, enſes, gladios majores, ſclopeta tractandi rationes monſtrare, pedites, equiteſque juxtà erudire, acies frequenter ſtruere, dirigere, vertere, promovere, in varias formas commutare, ad procurrendum repentè, ad gradum ſubitò inhibendum ut ſignificaret ductor, habiles & promptas facere: prælia ludicra ſæpe committere & ſerias pugnas adumbrare: denique artes omnes & diſciplinas militiæ veteres Romanis & Græcis aliiſque gentibus bello claris quondam uſurpatas, multis jam ſæculis neglectas, & velut oblivione ſepultas omni ſtudio è te-

Inſtitutum exercendi milites.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

nebris rurſum eruere, & quantum fieri poterat, in uſum revocare. In quo nec curæ ulli, nec moleſtiæ, nec labori, nec impendio pepercit: nec hominum ſcommatis & dicteriis ſalſis, quibus res inter initia (quippe quæ inſolens planè eſſet, & multis ridicula videretur) impetebatur, abſterreri potuit, ut à cæpto deſiſteret: quin imò eò rem perduxit, ut probata à prudentiſsimis & militarium rerum peritiſsimis quibuſque imitatores plurimos invenerit, à nemine verò avidius arrepta & ſtudioſius exculta fuerit, quàm ab ipſo principe MAVRICIO in laudes ſummorum imperatorum, quos priora & præſentia ſæcula genuêre, ſuccreſcente, vulgoq́ue credatur, quod tam clarum nomen, tantam gloriam legiones fœderatorum repererint, quod tantæ res per eas geſtæ, tam illuſtres victoriæ partæ ſint, id cum ducum imperatoriſq́ue virtute his artibus & inſtitutis potiſsimum deberi: ut vel eo nomine immortali gloriâ GVBERNATOR noſter dignus ſit, qui hiſce reſuſcitandis

& in ſcenam reducendis primus autor extiterit. Anno fluente MDXC Verdugius cũ vix tandem à Farneſio ad fulciendam in his partibus belli fortunam impetraſſet prævalidam Hiſpanorum legiónem, numero & robore præſtantem, reſumpto animo, ut labentem gloriam ſuam rurſum erigeret, & prioris anni detrimenta ſarciret, educto exercitu Emotillanos obruit, & ad deditionem faciendam adegit. Illinc Vpſlachtum cum exercitu eodẽ profectus, in quo ter mille quingentos pedites, trecentos equites habebat, caſtris illic poſitis, amnem, qui Neoſilam perluit, atque clauſtro ibidem coërcetur, tranſverſo aggere jacto velut ponte terreo ſternere occæpit, ut per eum rectâ ducere in Oſtergoam, & ſi fors ferret, in mediam penetrare Friſiam ſiccitate tum forte laborantem poſſet. Fidebat quippe exercitui ſuo, nec ei occurrere auſurum Comitem Guilhelmum viribus inferiorem arbitrabatur. Sed fefellit eum opinio. Nam Com. GVILHELMVS certior de eo factus ſuum quoque exercitum ſubitò edu-

Emotilla ab hoſte recepta,

Vpſlachtum nequicquam ab eodem tentatum.

xit numero quidem imparem (duo namque peditum millia tantum complectebatur, equitum planè nihil) caſtraque medio inter Leovverdiam & Doccumum ſpacio poſuit, illic hoſtis motum & conatus expectaturus. Paulò pòſt verò ex Hollandiâ equitum centuriis quatuor auctus Collumum caſtra promovit, quatuor paſſ. millibus ab hoſte ſejuncta. Nec tamen quicquam hinc aut inde tentatum amplius, niſi quod velitationibus levioribus interdum certatum. Vterque enim rerum ſummam prælio committere verebatur, cum hic numerum hoſtis, ille robur hujus metueret, uterque incerta præliorum, & maxima incommoda, quæ victum ſecutura videbantur, perhorreſceret. Verdugius verò à vi apertâ ad fraudem ſceleratam rurſum verſus duos eo tempore percuſſores in caſtris Collumanis Comiti GVILHELMO immiſit, utrumque Hiſpanum, Iulianum Sanchium & Petrum Cordubenſem, ut nefariâ cęde quoquo modo è medio eum tollerent. Hoc ſcilicet Hiſpanis pulchrum & tritũ,

Percuſſores duo à Verdugio Com. Guilhelmo immiſſi.

ut

ut quos aperto Marte non poſſunt, per ſcelus evertant. Sed uterq; detectus, & crimen confeſſus, judicio publico damnatus in caſtris iiſdem capite pœnas dedit. Et jam benignior fortuna, aut, ut rectius veriuſque dicam, pronior DEI favor aliis quoque locis miſeriâ preſſos Belgas fœderatos cęperat reſpicere. Nam poſt depulſam inteſtinam peſtem Leiceſtrianam, periculumque à claſſe Hiſpanicâ, quę omnib. vicinis & toti penè Europę terrori eſſe poterat, feliciter ſuperatum, & Martis externi vim in Galliam magnâ ex parte averſam, locum tandem invenit, id apud Ordines fœderatos, quod Comes GVILHELMVS noſter hyeme ſuperiore ſalubriter ſuaſerat: Suſcitavitque in eam rem DOMINVS exercituum ſpiritum MAVRICII principis tunc opidò adhuc juvenis, vix-dum annos XXIII nati, qui ante ætatem virilem verè virum ſe præſtans, primordio anni ejuſdem MDXC inſigni ac omni ævo memorabili ſtratogemate, operâ præcipuâ fortiſsimoque auſu Caroli Heraugerii cohortis præfecti, ſtudioq;

Benignior fortuna fœderatis in Belgio adſpirans.

Pr. Mauricii, ſpiritus à DEO excitatus.

ſtudioque Philippi Naſſovii patruelis ſui recuperatâ Bredâ in Brabantia, vetuſto patris ſui patrimonio, & caſtello Nordamo non procul iſtinc diſsito per Mathiam Heltum contra Carolum Mansfeldium Farneſii abſentis legatũ cum maximâ clade oppugnãtium fortiſsimè defenſo cum in Geldriam ſe vertiſſet cum exercitu, & è regione Neomagi in adverſâ VVahalis ripâ caſtra poſuiſſet, ibidem ad premendam eam urbem firmiſſimi operis vallum militare ſub oculis indignantium hoſtium, fremẽte Carolo Mansfeldio, per ęſtatẽ extruxit, eiq; tuendo, ac ſimul ab incurſib. & tributis vindicando agro Betavico validum præſidium impoſuit. Loco Cnodſenbergæ nomen vulgo datũ. Ipſi Geldriæ gubernatio poſt mortem Nuenarii Comitis ante ſemeſtre extincti, qui Bergenſi ſucceſſerat, cõmiſſa. Inde in Brabantiam reverſus per menſem Septembrẽ munita loca complura Sylvę Ducali, Bredęq; vicina expulſis Hiſpanis cepit. Dehinc hybernis finitis, cunctiſq;, quę non propulſando ſolùm, ſed etiam inferendo bello

BREDA occupata.

Caſtellum ex adverſo Noviomagi ſtructum.

1591

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

bello eſſent, ſummo Ordinum fœderatorum ſtudio abundè paratis, ſimulatâ novâ in Brabantiã aut Flandriam expeditione, in Geldriam repentè rurſum converſus, tormentis & reliquo inſtrumẽto caſtrenſi cum impedimentis, & omnis generis materiâ adverſo Rheno in Iſalam fl. ſubvectis, evocato & ſibi juncto patruele Gubernatore noſtro rerum militarium longè peritiſsimo conſiliiq́ue ſolertiſsimo, validiſsimum caſtellum in Iſalæ ripâ, ZVTFANIÆ imminens, aſtu militum ſuorum fœliciter hoſti eripuit: atque hoc initio facto, & velut aditu ſecundæ fortunæ aperto ZVTFANIAM ipſam, urbem prævalidam ac nobilem, & hac validiorem & nobiliorem DAVENTRIAM ad idem flumen ſitam, quam tum Hermannus Bergenſis in partib. Hiſpanicis apprimè fervens cum præſidio MCC optimorum militum tuebatur, utramque incredibili celeritate & fœlicitate dedere ſe coëgit: dein in Friſiam cum exercitu per paluſtria Haſſeltana feſtinans, quoniam rectâ viâ per Drentiam propter Coverdiam

Com. Guilhelmus pr. Mauricio conjunctus.

Zutfania, & Daventria captæ.

diam à Verdugio cum firmo præſidio inſeſſam non licebat, magno labore ſuperatis inviis, belli Friſici arci ac ſedi Groningæ obſidione tantum oſtentatâ (nec enim obſidere, ac vi adoriri eam tum animus erat) & portis ejus ſolummodò velut pulſatis, DELFSILAM caſtellum in orâ Amaſi benè munitum, VPSLACHTVM, EMOTILLAM, & quædam ejus agri alia, æſtate mediâ, ejectis Hiſpanicis præſidiis occupavit: atque hinc dimiſſo in Friſiam interiorem patruele, ipſe cum multò maximâ exercitus parte repetitâ Geldriâ ad depellendum ab obſidione caſtelli Cnodſenbergii Farneſium, qui ex Gallia ob motus hos Mauricianos ſubitò recurrerat, & cæſo illic fœliciter equitatu Farneſiano, multiſque equitum præfectis interemptis aut captis, liberato è faucib. belli caſtello, Farneſio obſidionis metu Neomago, ubi fuerat, & cladem equitatus quaſi præſens adſpectaverat, (Cnodſenberga quippe ſolo flumine VVahali, ut dixi, ab urbe disjungebatur) in tutum jam profecto, in Flandriam

Delfſila, Vpſlachtum, Emotilla occupatæ.

Res ad Cnodſenbergam à Mauricio pr. contra Parmenſem fœliciter geſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Hulſta in poteſtatem fœderatorum redacta. ſubitò ex Geldriâ duces HVLSTAM reb. omnib. ad bellum ſuſtinendum probè inſtructã, Ordinum fœderatorum reb. valdè oportunam repentè invaſit, & opinione citius in poteſtatem redegit medio menſe Septembri. Inde verò excîto rurſum cum cohortib. XII patruele GVILHELMO, cui plurimũ fidebat, Geldriam celeriter repetens *Neomagum captum.* NEOMAGVM ipſum totius Geldriȩ caput ex caſtello Cnodſenbergio, & majorib. caſtris ſuis terribilẽ in modũ tormentis verberatum, intraq; dies ſeptem in deſperationem actum partib. fœderatorum adjungit: eï capto Philippum Naſſovium Guilhelmi fratrẽ præfectũ dedit. Omnia hȩc in Geldria, Tranſiſulanâ, Friſiâ, Flandriâ, rurſumq; in Geldriâ ſpacio dierũ CL confecta, ac tum demùm exercitus feſſus in hyberna dimiſſus: gratiæ DEO publicè privatimq; per omnes provincias ſocias actȩ. Anno ſequẽte, qui fuit MDXCII, cum
1592 Farneſius cum exercitu rurſum in Galliam iviſſet, & PHILIPPVS NASSOVIVS *Philippus Naſſ. in Galliam miſſus.* eôdem in auxilium regi RHOTOMAGVM obſidenti cum cohortib. XX eſſet miſſus,

princeps

princeps MAVRICIVS & Comes GVILHELMVS ex Ordinum fœderatorũ voluntate ad pertexẽda tam fœliciter cœpta ſe accinxere: petentibuſq; & vehementer urgẽtib. Friſiis datum, ut proxima quæq; ipſorũ provinciæ infeſta primùm invaderentur. Itaq; collectis undequaq; copiis, & exercitu octo millium peditum, & mille quingentorum equitum confecto cum ingẽti bellicorum inſtrumentorũ apparatu, & tormentorũ majorum numero STEENVVICVM ultimum Tranſiſulanæ regionis oppidum quidem non magnum, ſed operib. & præſidio tum maximè munitum, Friſiæ confine obſidione cinctum, opera in id varia & fide majora excitata, turres ligneæ novo artificio & novâ formâ ex materiâ leviſſimâ ingenio Ioannis Cornputii in altitudinem maximam erectę, rotis innixæ, ut huc illuc impelli & moveri poſſent; tormẽtis ingentib. ſine intermiſſione impendio incredibili oppidum verberatum, pręter alias foſſiones multiplices cuniculi in ipſa uſq; mœnia perducti, pugnis frequentib. magno militum labore

Steenwicum obſeſſum, oppugnatũ, captum.

per varia diſcrimina in ipſis mœnib. ac propugnaculis certatum, donec tandem pervicax obſidentium virtus fortiſsimis præſidiariis deditionem extorſit. COQVELLVS præſidii hoſtilis præfectus maximam laudem conſtantiæ & fortitudinis meritus cum DC militib. illæſis, & CC ſauciis aut ægris principis permiſſu ex oppido egreſſus: quingenti, in quib. Ludovicus Comes Bergenſis Mauricii principis amitinus, variis caſib. in oppido periêre. In re gerendâ principi Mauricio, dum ipſe ubique curat, ſclopeti globulo mala fuit trajecta: Com. Guilhelmi induſtriâ, auſiſque fortiſsimis vexilla fœderatorum in oppidi mœnibus primum fixa: utriuſque virtus militaris ad invidiam uſque ab hoſte Coquello laudata. Oppido capto die XXXVIII poſtquã obſideri cæperat, & munitionib. inſtauratis, præſidioque illic, quantum ſatis erat, relicto, poſcentib. rurſum iiſdem Friſiis, & annitente Comite GVILHELMO, ſublatis caſtris COVERDIA in aditu Drentiæ petita, cui defendendæ

COVERDIA obſeſſa.

præerat

præerat tum cum cohortib. aliquot delectis Fridericus Bergenſis. Caſtris illic poſitis & initio obſidendi oppugnandique facto, iiſque, qui in oppido erant, ut id tuerentur, in arcem compulſis, Mauricius relicto ibi cum Friſiorum & Vltrajectinorum legionib. patruele GVILHELMO, cito itinere cum cæteris copiis in Tuentiam profectus OETMARSVM tenui præſidio munitum adoritur & occupat; Oldezelam tentare non auſus, ne tempus heic perderet, non minus celeri itinere in caſtra ad Coverdiam reverſus patruelem ſummo ſtudio intentum operibus ad premendos obſeſſos reperit. Tum verò majore vi conjunctis curis & operis actum, ſæpeque acriter cum hoſte certatum: munitiones ejus extra arcem velut antemuralia propugnacula, quas plures ante noſtrorum adventũ Bergenſis inſtituerat, per vulnera & cædes oppugnatæ expugnatæque, prȩſidiariiq; omnes in arcem confugere coacti. Interim & arcis vallum ac propugnacula tormẽtorum magnâ vi, jactib. innumeris quaſſata ad terrorem

Oetmarſum à pr. Mauricio occupatum.

terrorem obſeſsis incutiendum, & deditionis conſilium extorquendum. Sed hi & numero & robore ſuo freti, omnibuſque reb. ad ſuſtinendam obſidionem & propulſandam vim abundè inſtructi, ſine ullo timoris indicio perſeverantes, in obſidentes viciſsim tormentis fulminarunt, & ferociſsimis verbis de deditione loquentes rejecerunt. Nam præterquam quod ſuis adhuc virib. fiderent, à Verdugio auxilia ſibi ventura non dubitabant. Norant quippe, quantum ad tuendam Groningam, & omnia, quæ ad orientem Rheni reliqua Hiſpanicis erant, conſervanda, imò ad totam belli Belgici fortunam ſuſtentandam intereſſet, iſtum locum non amitti, vix ut Daventria aut Zutfania, aut Neomagum tanti fuiſſe putarenrur. Multò minus id ignorabat ipſe Verdugius. Itaque ſummo ſtudio ab ERNESTO Mansfeldio, qui tum Farneſii abſentis locum tenebat, dein ab ipſo Farneſio ex Gallia in Belgium reverſo expoſitis rationibus contendit, ut hujus rei cauſâ majores militum copiæ

Auxilia Verdugio miſſa ad liberandam obſidione Coverdiam.

ad

ad ſe mitterentur. Miſsique ad eum ſunt primùm pedites mille, equites ſeptingenti, & hos à paucis diebus ſecuti pedites ter mille, & in his legio veterana Hiſpanorum, equites octingenti. Quib. cum addidiſſet Verdugius, qui ſub ipſius imperio jam antè degebant, undequaque convocatos, & ſatis validum exercitum confeciſſet, itinere per Benthemenſem agrum facto rectà Coverdiam duxit de victoriâ nullo modo dubitans, præſertim de omni conditione caſtrorum noſtrorum, quâ valida, quâ infirma eſſent, quæ vigiliarum, quæ ſtationum ratio, qui ubi tenderent, accuratiſsimè ab homine infido didiciſſet. Et jam ſuperato ponte, quo Vechtis amnis non procul Coverdiâ ſternitur, & ordinibus ſtructis, ut quoſque rem aggredi volebat, induſiis candidis toto exercitu velato, ut per noctis caliginem conſpicere ſe, & mutuò noſſe poſſent, eâ nocte, quæ diem XXVII Aug. anteceſsit, priuſquam illuceſſeret, in eam caſtrorum partem, quâ equites cum duabus

Verdugii conatus.

Caſtra fœderatorũ ad Coverdiam à Verdugio oppugnata.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

peditum legionib. tendebant, quod id ſuis reb. optimum exiſtimabat, impetum fecit, uſuſque tanto ſilentio eſt, tantâque celeritate, ut priuſquam quiſquam in caſtris id animadverteret, pauci, qui ante alios audaciâ & velocitate pedum valebant, in caſtrorum vallo conſiſterent & altiſsimâ voce ad animandos ſuos, qui ſequebantur, & turbandos terrendoſque, qui in caſtris erant, conclamarent, *victoria, victoria.* Quos magno numero proximè ſecuti maximâ vi impreſſione factâ, foſſâque & vallo caſtrenſi ſuperato horribilem clamorem per tenebras noctis, quæ nondum abceſſerant, ſuſtulerunt, & vigilib. ac proximis quibuſque, qui ex ſtratis provolabant, trucidatis, ingentem terrorem totâ illâ caſtrorum parte diffuderunt. Ad quem tumultum clamoremque excîtus ſubitò Comes GVILHELMVS, qui cum principe MAVRICIO in caſtris majoribus tendebat, repentè in equum ſublatus iſtuc advolavit hoc animo, ut aut hoſtem expellendum, aut pugnando mortem oppetēdam

Res à Com. Guilhelmo in caſtris fortiter geſta.

ſibi

ſibi putaret. Nam diſſuadentib. aliis ſolus penè cum Friſiis ſuis obſidendæ Coverdiæ ſuaſor & autor fuerat, ac vix multâ rationum contentione id ipſum obtinuerat. Ad locum igitur eum, ubi in periculo res erat, delatus, animatis voce & exemplo iis, qui vim invadentium, pugnamque tumultuariam ægrè ſuſtinebant, accepto gravi vulnere (glans enim plumbea ſclopeto emiſſa obliquè lateri ejus infra coſtas impacta juxta umbilicum è ventre exierat) nihilo ſegnius imperatoris partes obiens, equites, quos reperire paratos poterat, duplici viâ quàm celerrimè caſtris exire, & utroque à latere territare agmen hoſtile in caſtra ſe inferens, & incurſum minari juſsit. Quod cum alacriter equites feciſſent, & hinc illinc velut impetum in tranſverſos daturi cum clamore & ſtrepitu quàm maximè ſe oſtentaſſent, & ipſe interea intus labantib. adeſſet, & cum adventu Friſicarũ cohortium, quas ſequi ex caſtris majoribus præceperat, prælium jam gravius cieret, repreſſus fervor Verdugianorum

Idem Com. Guilhelmus graviter vulneratus.

in caſtra ingruentium, ac vis in ipſis caſtris jam depugnantium elanguit. Simul Mauricianis quoque haud parvo numero accurſantibus & ſuppetias ferentib. (omnes enim jam in armis erant, & principe curante totæ legiones in aciei modum intra ampliſsimorum caſtrorum ambitum, quaſi ad pugnam paratę ſtabant, paucis tantum, quot in eam rem ſufficere videbantur, ad tormentorum cuſtodiam contra obſeſſos relictis) quotquot caſtrorum vallum ingreſsi erant, aut circum vallum pugnabant, occidione occiſi ſunt. Vix-dum eo periculo depulſo, Verdugius per patentem campum acie in latum extenſâ accedens, velut coronâ caſtra circumdaturus hic illic validas manus ad perrumpendas caſtrorum munitiones emiſit, ipſe mox cum toto robore ſecuturus, ſi res ſuccederet. Sed omnib. locis princeps MAVRICIVS, & patruelis GVILHELMVS quanquam ſaucius & ſanguine adhuc madens, vulnere nondum obligato, occurrentes, & ſecum fortiſsimos quoſq; trahentes faciliori la-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

bore venientium impetum repreſſerunt, & latiorem eorum cædem ediderunt. Nam & dieſcere jam cæperat, & omnes in prælii erant parati, & ictus certiores in hoſtes induſiis albentibus conſpicuos, ac à noſtris diſtinctos dirigebantur, ut verè, quod commodo ſuorum à Verdugio inſtitutum fuerat, iiſdem in exitium verteret. Tum demùm multis ſuorum amiſsis Verdugius pedem referens in ditionem Benthemenſem, unde venerat, ſenſim ſe recepit, non auſus denuò fortunam tentare, & MAVRICIVS ſuos victores, perſequi victos vehementer cupientes, & copiam ejus flagitantes, ne victoriam corrumperet, ægrè admodum inhibuit: GVILHELMVS verò ad inſpiciendum curandumq; malagmate vulnus, cujus dolores, dum ferbuerant certamina ac labores, minus ſenſerat, contempſerátve, in territorium ſuum ſe contulit. Id mundatum cum grave quidem (ab hypochondrio enim, ut jam dixi, prope umbilicum perſtrictis inteſtinis exibat) ſed non lethale à medicis & chirurgis repertum eſ-

Verdugius clade inſigni correptus à caſtris fœderatorum recedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſet, & patruelem MAVRICIVM, & fratrem PHILIPPVM, eodem fortè die ex Gallia reverſum, & proceres militumq́; prçfectos & totum exercitum gaudio affecit. Mox ad opera contra obſeſſos inſtituta, & fulmina in eos jacienda, ſtudia rurſum verſa. Perſiſtebat enim in pugnandi propoſito pertinaci, operaq́ue operibus intus opponendi labòre Fridericus Bergenſis, nihil minus exiſtimans, quàm Verdugium & veteranos Hiſpanos cum legionibus aliis tantam rem tanto fervore ac ſtudio cœptam, ob quam tam magna impendia facta, itinerum tam longi & moleſti labores ſuſcepti fuerant, tam leviter eſſe deſerturos.

Pervicacia præſidii obſeſſi in tuendo caſtel'o Coverdiano.

Quo animadverſo Verdugius velut pœnitens receptus ſui ſexto pòſt die, qui erat Calendarum Septembris Iuliani, cum omni exercitu in conſpectum caſtrorum & arcis obſeſſæ rediit, ac acie inſtructâ, quaſi ad prælium provocans principem MAVRICIVM, cum præthereà per totas horas ſeptem nihil moveret, Fridericus Bergenſis id conſpicatus, & indicium

Verdugius cum exercitu in conſpectum caſtrorum reverſus nihil agit.

um fractorum animorum interpretatus, etiam ipſe de fortunâ deſperare incipiens per miniſtrū ſuum tympaniſtam à MAVRICIO copiam petiit mittendi internuncios ad Verdugium, & in eventum reſponſi ab eo venturi conditiones deditionis ſibi honorificas & commodas propoſuit. Quibus pleriſque à Naſſovio rejectis, præſertim de internunciis ad Verdugium mittendis, jam ipſus quoq; prorſum animo dejectus poſitâ ferociâ ad alias deſcendere coactus fuit, qui tam ſuperbè ante dies aliquot mentionem omnem deditionis repulerat. Poſtridiè igitur Calendarum cum præfecto Enzio & militib. quingentis (tot enim ex nongentis ſupererant) egreſſus arcé, tormenta, commeatum omnem copioſum Mauricio & fœderatis reliquit. Verdugius cum fortunâ rixans & indignans, dolenſque in fines Benthemicos rurſus diſceſsit. Hanc quippe jacturam magnis urbibus ante amiſsis majorem duxit. Nam arx ſitu oportuniſsima ad tuendas reliquias in his cis Rhenum locis regię fortunæ, & operib.

COVERDIA pr. Mauricio & Comiti Guilhelmo dedita à Friderico Bergenſi.

longè

longè munitiſsima erat, & præſidio adhuc firmo, & commeatu abundè inſtructa, ut capere eam ſupra vires fœderatorum eſſe arbitraretur. Et in præliis his ſenſerat, fœderatorum legiones diſciplinâ Guilhelmianâ & Mauricianâ inſtitutas formataſque, ac laboribus exercitiiſque perpetuis induratas Hiſpanicis veteranis non ſolum inferiores non eſſe, ſed longè etiam ſuperiores. COVERDIÆ cuſtodia annitente Guilhelmo, fruſtrà obnitentib. Tranſiſulanis, Friſiorum præſidio eſt permiſſa: munitiones magno labore celeriter refectæ.

Exercitus fœderatorũ petente Galliæ rege ad Iſalam & Rhenum fl. ductus.

Exercitus utriuſque obſidionis laborib. & incommodis feſſus in hyberna duci quidem merebatur, ſed Galliæ regis rogatu ad diſtinendos communes hoſtes ſub ſignis à Mauricio & Guilhelmo & Hohenloo ad Iſalam & Rhenum ductus, ac poſt aliquot demùm ſeptimanas in hyberna dimiſſus fuit.

Conſilia Friſiorum ſubigendæ Groningæ.

Sed nihil actum Friſii putabant, niſi belli arce GRONINGA ſubactâ. Itaque etiam ante reditum Gubernatoris ex caſtris menſe Novembri coactis comitiis de rationibus

tionibus

tionibus huc ſpectantibus deliberarunt: placuitque iſtâ ipſâ hyeme novas munitiones locis proximis circum urbem excitare, omniq́ue ex parte præſidiis militarib. eam cingere, atque ita cuncta impedita ei facere. Verum inania omnia à multitudine belli imperitâ de rebus belli decreta; & hoſtib. antè quàm amicis cognita. Quapropter reverſo gubernatore deliberatio cum paucis, quibuſcum debebat, retexta: valuitque demùm hæc ſententia, ut dum princeps MAVRICIVS alibi perduelles Gertrudiſbergenſes domaret, GVBERNATOR loca idonea cogendę in ordinem Groningæ, quę contra hoſtium vim defendi poſſent, occuparet communiretq́; In quam rem dum ſummo ſtudio & induſtriâ gubernatoris cuncta parantur, ecce domi inopina tempeſtas in eum ſurrexit autorib. ſummis in rep. viris, iiſdemq́ue patriæ amantiſsimis, quorum conſiliis in rebus maximis ante alios ipſe ſolebat uti. Ea orta fuit ex diſcrepantiâ ſententiarum, dum aliud hic, aliud illi rectum,

Conſilia eadem recocta ac mutata.

Diſſenſus inter Comitē Guilhelmū, & quoſdam procerum in Friſiâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

& è rep. eſſe cenſerent, hic ad æquum & bonum, totique ſocietati fœderatorum congruum, illi ad id, quod provinciæ ſuæ utile & reb. ejus augendis commodum erat, magis reſpicerent. De quâ plura dicere hoc loco non libet, ne memoria rei parum gratæ, quam ſepultam ipſe vivens potius cupivit, ultrà quàm neceſſe eſt refricetur. Hoc ſolum præterire non debere me puto, non magis magnum & fortem animum in bello, quàm excelſum & verè generoſum, ac in dimittendis offenſis, reique publ. condonandis egregiè promptum, manſuetumq; & tamen conſervandi honoris ſui, atque illuſtriſsimi nominis minimè negligentem, denique affectib. ſuperiorem in hac procellâ domeſticâ demonſtraſſe. Etenim cum contentio hęc eum jam propè in procinctu agentem, & nihil minus expectantem excepiſſet, & ut in ſubitis fieri ferè ſolet, generoſam mentem ejus initio non parum commoviſſet, tamen inſtructis jam & paratis omnibus, quæ ad expeditionem pertinebant, & anni tem-

Magnanimitas Com. Gulhelmi.

pore,

pore, cæliq́ue commoditate, ut res occiperetur, poſcente, perinde ac ſi nihil ſibi accidiſſet, claſſem minorum navium ad vectandum militem & materiam confectam ingreſſus, & per proxima maris ęſtuaria in Amaſum, & ex Amaſo in ſinum Dullartum devectus, quâ per clauſtrum amnis ex Monaſterienſibus veniens, & Weddam arcem agrumq́ue BELLINGVVOLDIVM irrigans in Dullartum exit, illic locum extruendo caſtello cœpit, per quod & clauſtrum illud, & viam militarem, & commeatuum importationem in poteſtate habere poſſet. Quod Hiſpanici videntes, qui totam eam oram tenebant, conflatis ſubitò copiis quàm poterant maximis, ducibus duobus fratribus BERGÆ Comitibus, Hermanno & Friderico, caſtriſq; in proximo vico magno & frequenti VVinſcotâ poſitis, ſummo ſtudio ac operâ impedire id ipſum anniſi ſunt. Incurrere in Naſſovianos operi intentos, eoſq́ue præliis laceſſere, atque omnia facere, quæ turbandis iis eſſe putabant: ad hæc ad terrendos diſtinendoſve

Expeditio Com. Guilhelmi ad occupandũ & muniendum clauſtrum aquarum Bellingwold.

laborantium animos vallum ad amnem eundem paulò inferius VVeddanâ arce tumultuario opere excitare imponendi præſidii cauſâ, numerum quoq; militum cuſtodum arcis iſtius augere. Simul verò Verdugius, ut ab inſtituto NASSOVIVM abſtraheret, in provinciam ejus verſus, leviter primùm in Scoteranos, deinde majore vi & auſu in Oſtergoos ſe infert, & vicos tres incẽdiis vaſtat, quorum fumus & flamma ex vallo urbis Leovverdiæ procul conſpici poterant. At ille propoſiti ſui tenax, nec minus cautus in bello quàm fortis, à dimicationibus non neceſſariis ſuos continebat, cœptoq́ue inſiſtens, atque opus ſedulò urgens inſpectantibus & frementibus hoſtibus numero & robore ſuperantibus ad eum id modum perfecit, ut defendendo loco contra ſubitos & tumultuarios aſſultus ſufficeret: velut æmulus eâ in re patruelis ſui MAVRICII principis, qui eodem illo tempore ſub oculis Mansfeldii, totiuſque exercitus Mansfeldiani, qui Mauriciano quoq; haud paulò major erat, MONTEM

Clauſtrũ aquarum ad BELLINGVVOLDAM caſtello munitum.

GERTRV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

GERTRVDIS terrâ mariq; quaſi indagine cinctum preſſumq; in poteſtatem redegit. Sed ſic ferè accidit, ut nihil tam rectè fiat, quod non repræhenſores ſuos inveniat: quod tum quoq; verum apparuit. Nam cum in his eſſet gubernator, & rem fortiter ac feliciter gereret, extitêre quidam ex iis, qui nuper animum ejus domi turbaverant, qui ſimultate eâdem abrepti eum traducerent, & vel imprudentiæ vel malevolentiæ inſimularent, quod non VVinſcotanum vicum potius, oppidulo non diſparem, & caſtris cum primis commodum occupaſſet, & munitionib. circumdaret: id ſcilicet nihil aliud eſſe, quam tempus rei gerendę idoneum pariter, & ſumptus ingentes perdere, atque interim provinciam, quam tueri debebat, incurſionib. hoſtium proſtituere. Quæ cum ex ſuorum literis accepiſſet GVILHELMVS gubernator, relictis in opere & præſidio (erat enim opus nondum conſummatum) VIII militum cohortibus, cum cæteris ex Bellingvvoldiis Leovverdiam feſtinus repetiit:

Virtus obtrectationib. obnoxia.

atque illic expoſitis conſilii factique ſui rationibus, & obtrectantium imperitiâ, aut ſiniſtrâ affectione demonſtratâ, cum audiret Verdugium rurſum impreſſionem in Friſiam parare, feſtino labore excitata tria nova caſtella diverſis locis, præter Lecanum ſuperiore autumno extructum, ei objecit, à propoſitoque eum abſterruit. Pòſt cùm animadverteret in hoc eſſe eundem, ut commeatu, qui rareſcere cœperat, Coverdianos excluderet, in eumque finem præſidia hic illic per Drentiam diſponeret, cum exercitu pedeſtri Lecam profectus, atque ibi caſtra metatus, quaſi agrum vicinum invaſurus, illum in ſe vertit, atque interim multis modis ludificatus veteranum ducem egregio ſtrategemate per equites Steenvvicum ſe conferentes, quaſi ad principem Mauricium ituros, ex eo oppido annonam aliâque præſidio neceſſaria feliciter intulit. Dein auxilio acceptis à MAVRICIO, quæ ab eo rogaverat, XX peditum atque VIII equitum vexillis duce PHILIPPO fratre, atque

Oportunè commeatus Coverdiæ importatus.

Factum 9 Iulii.

additis

additis ſuis è Friſiâ cohortibus validis XII, Suollâ movens, quò Mauricianis occurrerat, Eidib. Auguſti Gramſbergâ, Veenbruggâ, lociſque aliis ex itinere occupatis, poſtridiè cum Emmam Drentiæ veniſſet, exploratis, & difficillimo itinere ſuperatis paluſtribus, quæ eâ parte Drentiam à VVeſtervvoldiis dirimunt, à biduo VVeddam venit, eâque & Slochterâ repentè captis, & præſidio levi munitis, ſpontaneâ etiam fugâ Italis, qui VVinſcotam pro hoſte tenebant, dilapſis, BVRTANGAM celeriter contendit, locum in longo & uliginoſo atque invio tractu paluſtri ſitum, quâ VVeſtervvoldiis Monaſterienſes objacent, arenoſo, ſed anguſto tumulo nonnihil ſe offerentem, quem ante aliquot annos in eundem finem Sonnojus militum præfectus ſub principe Guilhelmo Aurantio vallo excitato firmaverat. Eum tum deſertum, & ſine vallo jacentem repentè metatus vallo novo & latiſsimâ foſsâ, cum quinq; propugnaculis ex terræ aggeſtu circumdatum caſtelli in modum munit, fixiſq;

Expeditio ejuſdem Com. Guilhelmi ad occupandam & muniendã Burtangam.

BVRTANGA munita.

tentoriis,

tentoriis, ac caſis militaribus, aliiſq; ædificiis caſtello neceſſariis extructis, præſidio aliquot cohortium commendat, & cõtra quoſvis hoſtium aſſultus, & quamlibet oppugnatorum vim propter ſitum in profundis paluſtribus tutum facit, viamque illam poſtremam Groninganis quoque claudit. Hoc opus etiam modicâ aliquâ urbe captâ ad bellum his regionibus exterminandum potius eſt habitum. Verdugius interim circa Groningam hęrens, nec auſus diſcrimini ſe contra NASSOVIVM committere ob copiarum ſuarum paucitatem, expectanſque majora à Mansfeldio auxilia, quæ juſſu regis Hiſpaniæ ad eum mittebantur, non potuit Groningenſium criminationes effugere: eum ſcilicet dicebant ſedendo ad urbem, & nihil agendo, & de incremento exercitus non laborando fortunam regis & ſuam perdere, hoſti facultatem claudendi aditus omnes, & commeatus avertendi concedere, & ſi verum dicere liceat, cum hoſte colludere. Ille verò ſatagere quidem, ut ſe purgatum redderet,

Verdugius criminationes Groningenſium perpeſſus.

loca

loca per agrum hic illic munire, militem ad invehendum ex agro in urbem frumẽtum, quod vetitum agricolis à Naſſoviis erat, emittere, ſed actum agere: donec tandem de exercitu ex Brabantiâ adventante cum FRIDERICO Bergenſi nuncius animos omnium erexit. Is Fridericus per Monaſterienſes magnis itineribus contendens, ut per viam Burtangiam in VVeſtervvoldios, & agrum reliquum Groninganum penetraret, cum in itinere cognoviſſet locum illum munitione & pręſidio jam occupatum eſſe, verſo in Tuentiam curſu Oetmarſiam invaſit cœpitq;: mox per Benthemios tranſiens declinatâ Coverdiâ per Sconebecam duobus paſſuum millibus inde disjunctam, quod per æſtatis autumniq; ſiccitatem perpetuam tum licuit, quanquàm difficili niſu ac labore paluſtria emenſus in Drentiam pervênit, Groningamq; feſtinans ibi cum Verdugio ſe conjunxit. Tum deliberatum inter eos, quid maximè facto eſſet opus, adhibitis in conſilium ſenatus delectis, imprimiſque duobus, qui

Fridericus Bergenſ. auxilia Verdugio & Groninganis adducit.

N Bruxellam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Bruxellã ad petenda quàm maturima auxilia miſsi fuerant, & tum cum Bergenſi & ipſis auxiliis in urbem redierant. Inter plures valuit potiſsimùm hæc ſententia, ut ſi quo modo id fieri poſſet, Comes GVILHELMVS ad committendũ prælium plenis & apertis aciebus pertraheretur: ſi fieri non poſſet, ut in provinciam ejus FRISIAM exercitus duceretur, & ea quàm latiſsimè & fœdiſsimè ferro, flammâ, direptione affligeretur. Et ſi nec id ſuccederet ob vias impeditas, ut tum ſaltèm per paluſtria Drentiam terminantia ad Sconebecam via, quæ exercitui quovis tempore patêret, ſterneretur, atq; ita prędidium Coverdicum fœderatis redderetur inutile. Verum ad levandam urbem anguſtiis præſentibus, atque animos civium erigendos, placuit caſtella proxima, quibus commeatus importatio prohibebatur, invadere, atque hoſtem inde ſubmovere. Itaque copiæ bipartitò ab urbe miſſæ. FRIDERICVS Bergenſis cum fratre Henrico, qui cum eo in urbem venerat, in Huneſgonios verſus vallum

Conſilia Verdugii & Groningenſium.

Vallũ ad clauſtrum aquarũ Adowerd. à Verdugianis cũ cæde præſidii expugnatum.

lum

lum ad clauſtrum aquarum Adovverdianum poſitum in ripâ Huneſi amnis, quod à Comite Guilhelmo dudum occupatum præſidio militum CXX virorum fortiſsimorum tenebatur, tormentorum fulmine petitum, magnâ vi oppugnat, & bis cum ſtrage ſuorum rejectus, tertio demùm impetu ſuperat, & crudeli cæde prẹſidiarios omnes interimit, locumq́ue militi ſuo tuendum tradit. Longius verò progredi eâ parte, aliaſq́ue fœderatorum munitiones tentare non auſus, agricolarum rebus in ſpolium verſis in urbem redit. At VERDVGIVS cum maximâ exercitus parte in Duerſvvoldios profectus vallum Slochteranum non ſine labore & ſanguine expugnat. Inde præſidium, quod Winſcotæ erat, oppugnatum dedere ſe cogit, VVeddanam arcem tormentis concuſſam trucidato præſidio capit. Atque hæc ab eo dierum ſeptem ſpacio geſta. Tum Burtangâ fruſtra tentatâ, cæteris quoque caſtellis in Dullarti & Amaſi orâ relictis, frem̃ente civitate Groninganâ in Drentiam ſe

Geſta à Verdugio.

 confert,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

confert, copiiſque omnibus eôdem venire juſsis Suidlaræ primùm conſidet. Ibi cùm audiſſet Com. Guilhelmum TOLBERTI in Fredevvoldiis non longius quàm quinq; paſſuum millibus ad occidentem ab urbe Groningâ caſtra habere, deq́; eo loco muniendo cogitare, eôdem etiam ipſe cum exercitu contendit, ſperans aut occupaturum ſe eum illic, & ad prȩliandi neceſsitatem adacturum, victoriamq́; reportaturum, aut ſine pugnâ deſerto loco in turpem fugam eſſe daturum, (numero enim militum longè illum ſe ſuperare norat) & utrumcunq; accideret, id inſtaurandæ gratiæ & bono nomini apud ſuos, augendæ gloriæ apud alios profuturum ſibi exiſtimabat. At Comes GVILHELMVS de conſilio ejus certior factus, virium ſuarum haud valdè firmarum ſibi conſcius, & ſemper à præcipiti audaciâ in caſibus hujuſmodi, in quibus non tam ipſius quàm reip. fortuna in diſcrimen trahebatur, abhorrens, ne prȩlium committere loco aperto, & ſibi minus quàm hoſti commodo neceſſum haberet,

Res ad Tolbertũ à Com. Guilhelmo & Verdugio geſtæ.

maturè ante hoſtis adventum in locum tutiorem, atque ad excipiendam ſuſtinendamq; hoſtilem vim magis idoneum recipere ſe cum exercitu cogitabat. Verum cum aliam eſſe mentem eorum, qui, ut à cõſiliis ipſi eſſent, è Friſiâ decreto ſuorum iſtuc venerant, cognoſceret, agedum, ait, experiamur heic fortunæ aleam, quandoquidem id vobis è rep. & fœderatorum dignitate ac gloriâ eſſe videtur. Ego dabo operam, ut omnes cognoſcant, me non de periculo meo, ſed de fortunâ publicâ ſollicitum caſtra movere voluiſſe. Statimque vallo foſsâque caſtra præcingi pro anguſtiâ temporis præcepit. Poſtridiè cum jam adventare hoſtem, & explicatâ acie in conſpectum ſe dare, per exploratores, & eos, qui in extimis ſtationib. erant, nunciaretur; ac mox fidenter pedem inferre ex ipſis etiam caſtris conſpiceretur, iidem, qui manendum eſſe, & hoſtem illic expectandum pridiè cenſuerant, pavore ſubito correpti abeundum inde, & exercitum diſcrimini ſubducendum, caſtraque ad fines provinciæ ſuę, loco magis tuto, Die 19. Septemb.

atq; ad eam contra hoſtiles incurſus protegendam magis oportuno figenda cum deploratione periculi patriæ penè lamentabantur, homines caſuum belli ignari. Tum gubernator GVILHELMVS: ſerum hoc jam, heri quod fuiſſet tempeſtivum, & fortunæ publicæ utiliſsimum: nunc repentinus diſceſſus turpis erit trepidæ fugæ ſpeciem habiturus, animoſq; hoſtium augebit, nobis minuet: quin imò & toti exercitui huic, & Friſiæ erit pernicioſus. Nam ubi hunc locum aggere jam & foſſâ præcinctum reliquerimus, hoſtis, qui vicinus eſt, & numero militum, ac equitatu potiſsimùm prævalet, poſtremorum noſtrorum tergis inhęrebit, ac totum agmen turbabit, cogemurq́ue aut iniquiore loco, quàm hic eſt, & acie tumultuariè inſtructâ, ordinibus confuſis cum eo dimicare, aut in apertam turpemq́ue fugam nos dare: & quod extremum ſpei noſtræ eſſe poterit, ſi incolumes, ſineq́ue clade ad fines noſtros pervenerimus, prius tamen avidus certaminis hoſtis nos obruet, quàm caſtra

rectè metari ac munire poterimus. Exercitu verò hoc cæſo aut diſsipato quæ futura ſit fortuna provinciæ noſtræ voſmet expendite. Quapropter hic perſiſtendum jam nobis, & certaminis alea ſubeunda, ſi exercitui conſulere benè, & exitium certum à Friſiâ avertere volumus. Interim Verdugiani explicatis vexillis peditum XXXV, equitum XV, atq; acie directâ, velut pugnæ avidi propius accedere, & ad vallum uſque feſtinare, Verdugius ipſe diſcurrere in equo, rei gerendæ ordinem dare, milites animare, ſtrenui imperatoris officium facere, victoriæ ſpe plenus, ac penè certus: ſed cum vallata caſtra inopinatò comperit, non parum turbari, animo tamen non deficere. Comes verò Guilhelmus egregiè quoque eo temporis momento munus prudentis & fortis imperatoris præſtare, huc illuc volitare, ordines diſponere, præcepta dare, animos addere, hoſti caſtrorum vallum invadenti occurrere ac reſiſtere, turmas etiam equitum aliquot in Verdugianos caſtris inſultantes, & pugnã

minitantes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

minitantes, Philippo fratre duce è caſtris emittere, eoſque velitando diſtinere, tormentis quoque campeſtribus è caſtrorum vallo in eos fulminare. Quo modo fortiter agendo hoſtem ita conterruit, ut eodem die horâ tertiâ pomeridianâ ad ſilvulam Sigeri, unde venerat, ſe receperit, qui circiter horam IX ante meridiem iſtuc acceſſerat, plus dedecoris quàm laudis conſecutus. Eum abeuntem cum perſequi, & agmen poſtremum carpere alacerrimi quique è caſtris cuperent præter laudem ſpolia quoque ſperantes, à prudente imperatore dubios caſus certaminum inſidiaſque metuente ſunt prohibiti: idque ipſum ab eo, qui rei iſtius de hoſte perſequendo præcipuus autor fuerat, Franciſco Verio Britanno, veterano duce, pòſt re melius conſideratâ, ut ſapiens conſilium eſt collaudatum. Res hæc geſta die XIX Septemb. Iuliani. Exercitus ſalvus ſalvâ rep. à Comite GVILHELMO omnium bonorum laudibus celebrato in Friſiam eſt reductus. Verdugius inglorius, & cõvitiis Groningenſium conſputus

Verdugius turpiter Tolberto recedit in Drentiâ.

Com. Guilhelmi prudens conſilium.

Verdugii cõſilia & conatus de obſiuendâ Coveraiâ.

conſputus Suidlaram cum ſuis rediit, & cum aliud jam non poſſet, in ſuperiorem Drentiam ſe conferens caſtris ad Coverdiam poſitis velut eam obſidione preſſurus, vię novę per paluſtria ſternendę ad orientem Coverdię, inter Dalam proximum vicum & Camphuſium ſe dedit adverſo ſolo cœloq́;. Nam uti æſtas immodicè ſicca conatibus ejus ſubſervierat, ita autumnus ingruens tempeſtatib. & pluviis immoderatis, quę hactenus circa oras æſtuariorum & fluminum pervia utcunq; fuerant, propter inundationes atque imbres frequentes invia cœperat facere. Et quanquam exercitus partem iſtac per varia incommoda ad obſidendos utroq; à latere præſidiarios Coverdianos traduxit, tamen actum egit. Nam & Comes GVILHELMVS paulò antè commeatum denuò in arcem, ipſo nequicquàm prohibere conato, curaverat inferri, & cœptum ſternendæ viæ non eum, quem ipſe ſperaverat, ſucceſſum habuit, & Philippus Naſſovius commeatum ex urbe in caſtra ejus miſſum intercepit. Itaque velut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

deſperans obſidionem tum deſeruit, cum interim milites ejus omnium rerum inopiâ laborantes, & ediâ preſsi, qui morti & morbis ſupererant, & fugâ delapſi non erant, velut famelici milvi, omnia per Drentiam infandâ direptione fœdarunt, latiuſque & crudelius regiis ſubditis, quibus tuendis miſsi erant, quàm hoſtibus fœderatis, nocuerunt. Quorum exemplum imitati, qui ad urbem Groningam ſedebant, ex ſenatus voluntate, omnia per vicinum agrum, quem percurrere poterant, in prædam verterunt, prædamque in urbem importarunt. At NASSOVIVS Friſiæ vicinæ gubernator, dum Verdugius Coverdiæ nequicquàm adſidet, exercitus ſui magnam partem navibus impoſitam, quod ei tutiſsimum erat, emenſus æſtuarium & Amaſum, ac Dullarti ſinum ſecundo curſu Bellingvvoldam in caſtellum ſuum ſecum vehit. Inde Weddam arcem ſine morâ petens, cum iſtuc veniſſet, abſque tormentis, abſque vi pręſidiarios CL ſola verborum denunciatione ac comminatione perculſos ſe dedere

Verdugiani Drentinos, quos tueri debebant, miſerè affligunt.

Idem per alios fit in agro Emlandico.

Res apud VVeſterwoldios à Com. Guilhelmo feliciter geſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

dedere cogit, & quicquid prætereà præſidiorum in eâ orâ erat, metu diffugere compellit. Mox reliquis rebus ex uſu fœderatorum ibi conſtitutis, & edicto per totum agrum Omlandicum ſeverius quam antè (nam aliquoties jam id publicatum erat) repetito, ne quis aut annonam in urbem Groningam inferret, aut agros araret ſereretve, ad urbem fame domandam, & demùm caſtello ad canalem Adovverdianum alieno anni tempore ſub finem Octobris poſcentib. Friſiæ ordinibus fruſtrà appetito, domum cum copiis revertit. Verum nec ſic ei in hyberna jam degenti quies. Nam rogatus à patruele MAVRICIO in Hollandiam ivit, & hinc Selandiam, indè in Flandriam cum eo vectus, poſtridiè Eid. Novembris rem ancipitem & arduam, periculiſque haud expertem cum eodem & Comite Solmenſi proceribuſque ex ſummo ordine aliis, aggreſſus, per tenebras noctis, & viæ ſalebras ſtagnanteſq; aquas, cœlo quoque incommodo, difficili labore BRVGAS, Flandriæ quondam metropolim,

Edictum per agrum Omlandicum publicatum.

Expeditio in Flandriam contra BRVGENSES inſidiis appetitos parum proſperæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

polim,& nunc quoq; poſt Gandavum urbium ejus regionis longè maximam & populoſiſſimam contendit, ejus per inſidias occupandæ ſpe propè certâ: ſed errore viȩ per denſiſsimam caliginem vitio ductorum diu impliciti atque impediti omnes, uſque dum illuceſceret, ac ſpe ſuâ fruſtrati recipere ſe quàm ocyſsimè, ac naves repetere coacti ſunt. Ex quo labore & incommodis cælo hyberno MAVRICIVS, ad cinctum uſq; non ſemel in aquas immerſus, in morbum incidit, idemq́ue multis accidit aliis: GVILHELMVS ſine valetudine lȩſâ evaſit. Eodem menſe à Philippo Naſſovio copiis pedeſtribus & equeſtrib. inſtructo ex Geldriâ vicinâ appetitum eſt per ſimiles inſidias Limburgum, ſed nec hoc conatu ſuccedente regio circum circa vaſtata, multi milites Hiſpanici ad ſigna coëuntes in adventum ERNESTI Auſtriaci novi Belgarum, regi parentium, gubernatoris, hic illic diſsipati.

Limburgum per inſidias appetitum à Philippo Naſſ.

COVERDIA verò rurſus novis caſtellis minoribus aliquot locis cincta & exercitu preſſa, à Verdugio obſeſſa, obſidioq́; contemptis

Coverdia rurſus à Verdugio obſeſſa.

contemptis cęli incommodis totâ hyeme continuata. Inter hęc ERNESTVS in Belgium venit anni MDXCIIII initio, & famam de ſtudio ſuo conciliandæ per Belgium pacis quam latiſsimè ſpargit, ſed paucis de eo ob copias novas militares conſcriptas & armatas fidem facit. Simul inſidiæ caſtello Delfſilano ſtructæ a Groninganis Februario ſurgente ſine ſucceſſu fuêre. Conatuſq; contra Sylvam Ducis in Brabantia, & Trajectum ad Moſam Mauricium principem fruſtratus eſt. Et jam majoribus viribus in æſtatem proximam bellum utrimq; parabatur. Verdugius exercitus incremento haud parvo è Brabantia accepto, imprimis equitatu fretus (ad duo enim equitũ millia ſub ſignis habebat) Coverdiam obſidione premebat, atq; adeò de deditione obſeſſis extorquẽdâ non dubitabat, ut eam quaſi in manu ſe habere arbitraretur. At MAVRICIVS Suollæ exercitũ ſuum convocans, ubi ad eum ante omnes venit cum validâ legione Friſiorũ Comes GVILHELMVS, & cũ alterâ legione in Germaniâ recens cõſcriptâ

1594

ERNESTVS Auſtriacus in Belgium venit initio anni 1594.

Expeditio fœderatorum ad reducendos in ſocietatem priſtinã Groninganos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

à Ioanne Naſſovio Guilhelmi fratre, Eberhardus Comes Solmenſis, & cum cohortibus x Philippus Naſſovius, & Franciſcus Verius cum cohortibus Anglorum XII, proceresque & militum præfecti cum copiis complures alii, equitum verò vexillationes XXIII, Philippo Hohenloo cum XX cohortibus in inſulâ Bommelanâ ad tuendam Hollandiam & Geldriam relicto. De his Verdugius factus certior contemptim apud ſuos, ut eos animaret, de duce & exercitu locutus, ad pugnam ſe paratum eſſe, ſi contra ſeſe venirent, audacter jactitavit. Et excepta vox valde inſolens eſt Hermanni Bergenſis ſtolidè ſe efferentis, flocci ſe facere, quod peditum numero ſuperarent fœderati, ſeſe ungulis equorum ſuorum, quibus ipſi multò ſuperiores eſſent, exercitum eorum aperto campo ſe committentem facile eſſe eliſuros. Sed ferè ſic fit, ut quò quis ferocius ante diſcrimen loquitur, eò citius & turpius ingruente diſcrimine concidat: quod & heic eventus docuit. Etenim Verdugius & Bergenſes cum per ſpeculatores

Verdugius & Bergẽſes ferociter loquuti paulò poſt turpiter fugiunt.

tores cognoviſſent, MAVRICIVM & GVILHELMVM Suollâ Ommam cum exercitu eſſe progreſſos, & rectà contra ſe venire, ſolo adventantium terrore perculſi non expectato eorum conſpectu eâ nocte, quæ VI Kal. Maij proximè ſequitur, caſtris deſertis ſilenti agmine, ſineq́ue tympani tubæve ſono, fugientium inſtar feſtinabundi, in Tuentiam ſe recepêre. Sic COVERDIA diuturnâ obſidione liberata, commeatuq́ue copioſo cum rebus aliis neceſſariis illato recreata, caſtella Verdugiana, ad premendam eam circum circa extructa, aut exciſa, aut præſidiis novis ad tempus munita, donec de toto hoc bello quid futurum eſſet, appareret. Ambigebatur eo tempore inter eos, qui belli ducibus ex voluntate ordinum fœderatorum à conſiliis erant, utrónam belli impetus tum eſſet vertendus, in Tuentiamne ad perſequendum Verdugium, & cæteras belli Ciſrhenani reliquias conficiendas in ditione Zutfanienſi, Bercamq́ue in orâ Rheni Hiſpanicis extorquendam, an verò belli cis Rhenum caput GRONINGAM

Coverdia lõgâ obſidione liberata.

Conſiliorum diſcrepantia in caſtris fœderatorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſummâ jam rerum anguſtiâ laborantem & diſcordiâ civili ſciſſam ac tenui præſidio militari munitam oportunè invadendam. Geldri & Tranſiſalani in iſtam inclinabant ſententiam ſuis rebus magis commodam: & his, quod multi mirabantur, accedebant FRISII, idque alii aliter interpretabantur: quanquam ſcopus viris prudentibus eſſet manifeſtus. Ratio verò in medium adferebatur hæc: Groningam ſine admoto exercitu toto, circumvallatum jam caſtellis, & omnium populorum commerciis prohibitam, multiſque difficultatibus domi implicitam, nec præſidio, quod plus quam cives poſsit, inſeſſam, uno alteroque caſtello ejus tantummodo capto in manus facilè venturam. Sed Hollandis, Selandis, Vltrajectinis diverſum placebat, & cum his belli duces prudentiâ valentes facere videbantur.

Exercitus fœderatorum rectâ Groningam ductus, & GRONINGA obſidione cincta.

Quæ diſſenſio ne quid incommodi pareret, fortunamve belli moraretur, miſſi duo Hagam ſunt, qui collegium generalium ordinum fœderatorum conſulerent. Ex hujus ſententiâ autoritate ducum firmatâ

matâ exercitus rectâ GRONINGAM ductus, caſtraq; majora, in quibus ipſi duces tendebant, Helpenæ ad auſtrinum urbis latus IIII Eid. Maij poſita, minora in parte oppoſitâ propius urbem, dejecto inde hoſtili præſidio, poſtrid. Eid. collocata, utraque vallo foſsâque pro loci naturâ munita tum contra oppidanorum excurſiones, tum contra impreſsiones, ſi quæ fortè futuræ eſſent, externas. Statímque foveis obliquis & perplexis deprimendis per ambages ad mœnia directis laboratum. Deinde vallum prævalidum ad clauſtrum Adovverdianum, cui Prengerus cum cohorte pręerat veteranus miles, à GVILHELMO Naſſovio magno labore oppugnatum, & poſtridie cum cæde totius ferè pręſidij per vim expugnatum. Miles cladis anno ſuperiore iſtic acceptæ, & commilitonum immaniter ab hoſte cæſorum memor, ut talionem referret, aſperius quam pro more iræ & gladio indulſit. Iamq́ue excitatis oportuno loco terrę aggeribus & tormentis majoribus illic ſtatutis, (quod nunc facere ex

Caſtellum ad clauſtrum aquarum Adewerd. vi expugnatum à Com. Guilhelmo.

Groninga tormentis majorib. verberata.

P mœnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

mœnibus ſuis oppidani, plus ſatis feroces, in caſtra fulminantes cœperant) ferè ſine intermiſsione cum horribili fragore & boatu fulmineæ pilę ingentes in urbem contortæ, quibus vallum, portæ, turres, civium ædes fędè laceratæ, multi mortales in foro, in plateis, ìn ædib. ſuis, in ipſis lectis eliſi, aut membris mutilati: globi quoq; fumantes ac flammam fundentes, ac pilæ ignitæ terribili ſpecie noctu & interdiu in ſublime ejectæ, ac in urbem deciduæ, ad incendia facienda, & pavorem ciendum ab artificibus comparatæ: denique ita actum, ut fulminantibus tormentis terra quaſſari, cælum tonare & fulgurare cum pernicie hominum videretur. Interim cuniculi quoque in terram depreſsi, & uſque ad urbis foſſam incredibili ſtudio militum præmiis excitatorum perducti: nec tamen his omnibus oppidanorum pertinacia fracta. Etenim illi è vallo viciſsim tonitruare, ſclopettis obſidentes & laboribus occupatos aſsiduò impetere, audacter in eos excurrere, & pugnam miſcere. Erant enim

Obſeſſorum in defendēda urbe pervicacia falſis rumoribus ſubjectis ſuſtentata.

per

per multos annos bello indurati, & tum falſâ expectatione auxiliorum, & mendacibus literis Verdugii & Bergenſium fratrum, quæ identidem per emiſſarios homines audaces in urbem veniebant, ac vanis promiſsis legatorum ſuorum Hiſpanis devotorum, ipſiuſque adeò ERNESTI Auſtriaci, ſæpe etiam fictitiis epiſtolis in ipſâ urbe ab impoſtore peſsimo ſcriptis, ac in vulgus productis dementati. Accedebat, quod IESVITÆ, genus hominum nequiſsimum, quos paucos ante annos infœlix civitas ſtudio paucorum, qui autoritate valebant, & Hiſpanum penè pro DEO habebant, in ſinum ſuum receperat, fecem plebis, doctrinâ ſuâ jam corruptam atque infatuatam, pro libitu ſuo impellebant, atque ad conſtantiam pro Hiſpano & Papâ Romano exhortabantur, ac, ſi neceſſe eſſet, omnia potius ferenda, quam ad fœderatos, quos hæreticos nefandos, & regi rebelles nuncupabant, tranſeundum ſuadebant & perſuadebant. Quibus rationibus fiebat, ut vix magiſtratus ſui juris eſſet, & me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

liores aut moderatiores cives; qui omnibus his non applaudebant, de vitâ quoq; non rarò periclitarentur. Accidit verò, ut poſt tertias literas benigniſſimè à principe MAVRICIO & Comite GVILHELMO ad ſenatum populumq; Groninganum ſcriptas, & in urbem ipſis Non. Iunij Iuliani allatas, capitibuſq; civitatis in curiâ prælectas, cum innotuiſſet res pluribus, poſtridiè fœminæ magno numero in curiam ſe inferrent, ſenatumque lamentabili oratione precarentur, ut is ijs conſilijs locum vellet dare, quibus ipſæ cum liberis, parentibus, maritis, propinquis, ſalvis fortunis, ſalvâ patriâ manere poſſent incolumes, nec neceſſe haberent, viduatæ omnibus, exutæ reculis ſuis, extorres patriâ, egenæ oberrare, miſerrimamque vitam ducere. Quæ oratio pupugit ſanè conſulum ſenatorumque plurimos, atque hoc effecit, ut deliberandi cauſâ à meridie ejuſdem diei, qui Eidus Iunias proximè antecedit, omnes ij, qui in talibus vocari ſolent, in curiam vocarentur. Ex horum igitur aſſenſu

Motus in urbe obſeſſâ.

ſtatim

ſtatim delecti miſſi ſunt in caſtra inducias petituri, per quas de bello finiendo agi poſſet. Verum cùm interea tabellarius quoq; ab ERNESTO cum literis in urbem veniſſet, & triduo pòſt emiſſarij VII à Verdugio etiam adeſſent, & mendaciis aures plebis implerent, civitaſq; diverſis animis in partes diſtraheretur, viſum Senatui eſt ordines omnes & claſſes civitatis in curiam accire, ut coram omnibus recitatæ literæ tum Erneſti legatorumque, qui Bruxellæ agebant, tum eæ, quæ ex caſtris venerant, de re communi iiſdem omnibus deliberandi & ſtatuendi copia ac facultas eſſet. Quo inaudito viliſſima populi fex à Ieſuitis, ut dixi, infatuata, à paucis primoribus, Ieſuitarum deſiderio mancipatis, concitata, cui id, quod agebatur, inviſum erat, ducibus ijſdem in curiam irrumpens, ſeditioſorum inſtar, contra ſenatum fremebat, & inconditis confuſiſque clamoribus, qui foris quoque audiri poterant, curiam implebant: eratq; ſenatus tum in non parvo periculo. Sed cum irrumpentes vidiſſent, & clamantes

Tumultus ſeditioſus in eadem urbe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

audirent, qui curiæ proximi circum forum habitabant, ut lex civitatis tum temporis habebat, ſponte ſuâ ad arma concurrentes, injecto metu tumultuantes compeſcuerunt, ſenatumq́ue periculo liberarunt. Id verò ſeditioſi vehementer dolentes, ut pares aut ſuperiores reliquis eſſe poſſent, ſenatumq́ue & meliorum partium cives ulciſcerentur, militem præſidiarium, cui urbem ingredi hactenus non licuerat, ex ſuburbio majore duas portas præcingente, & naviculatios eodem in ſuburbio domicilia habentes, ejuſdem ingenii cum plebe factioſâ, Hiſpaniſq́ue addictiſsimos, tumultuoſè in urbem evocarunt, iiq́ue ejus rei cupidiſsimi & prædis inhiantes, cum portæ non paterent, adjuti navibus foſſam & valli faſtigium quàm celerrimè ſuperarunt, curſuq́ue in forum contenderunt, atque illic armati velut in acie conſtiterunt, attonitâ totâ civitate, direptionem cædemq́ue metuente. Et erat ſanè res in ſummo diſcrimine, exiſtimantibus iſtis ad prædam ſe eſſe vocatos: unde cædes

ſecuturę

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſecuturæ videbantur. Verum cum cives, quos arma cepiſſe dixi, etiam ipſi ſervatis ordinibus in armis manerent, & ex diſcordiâ, quâ cæteroqui laborabant, in concordiam contra prædones iſtos omnium fortunis inhiantes coirent, gladius gladio repreſſus, & tempeſtas atrox à civitate averſa fuit. Nec tamen ſic ſeditioſorum protervia conquievit. Nam dilapſi è foro cum alia nequiter patrarunt à magiſtris Ieſuitis, & eorum mancipiis incitati, tum in vallum feſtinantes, ut inducias abrumperent, & actionem de pace turbarent, tormentis rurſum fulminare in obſidentes nihil minus expectantes cœpêre. Hinc hoſtilia omnia repetita, oppidani novis mendaciis per tabellarios & literas à Bergenſib. venientes erecti: ad mœnia ſæpè vario eventu pugnatum, cœſique non pauci: imprimis tormentorum magnorum fulminib. utrimq; atrociſsimè certatum, foſſionibus obliquis & tortuoſis, ac novo cuniculorum genere, cameris ſubterraneis ſimilium, in ipſam urbis foſſam ab obſidentibus indefeſſo

Induciæ breves à ſeditioſis turbatæ.

indefeſſo ac improbo labore perventum, aggeſtuque virgultorum, ſtraminis, fœni, ſtorearum, terræ eadem foſſa uno atque altero loco penè oppleta ad vallum invadendum, & ſuffoſsionibus pulvereque ſulfureo ſubruendum: deniq; ad radices propugnaculi validi portam orientalem protegentis per foſſam penetratum, idq; propugnaculum cuniculo cavatum, inferto pulvere nitroſo, igneq; injecto III Non. Iulij Iuliani cum horribili fragore diſjectum, militeſque præſidiarij excubias in eo agentes magno numero cum tugurijs, armis, alijs rebus ſuis, magnâque terræ mole in ſublime ſparſi: locus paulò poſt à Mauricianis occupatus, aditusque in urbem jam ferè apertus. Hoc maximè caſu turbata tota civitas poſt varias coïtiones & deliberationes tandem ex voluntate ſenatus & conſenſu omnium civitatis ordinum, ſuadentibus etiam ſacerdotibus, petitâ rurſum colloquij copiâ, legatiſque emiſsis & obſidibus receptis, poſtremò de conditionibus deditionis conventum IIII Eiduum menſis ejuſdem. Poſtridiè cum exiſſent

Propugnaculum cuniculo cavatũ cum præſidiariis militibus in aëra diſiectũ.

GRONINGA princ. Mauricio, Com. Guilhelmo & fœderatis dedita.

exiſſent urbe regii milites, qui cædibus & morbis ſupererant, fœderatorum cohortes x urbem eandem ſunt ingreſſæ, & has ſtatim ſecuti victores duces, lætis animis & acclamationibus excepti, munitionibuſque cum admiratione inſpectis (putabantur enim validę eſſe ad oppugnationes diuturnas ſuſtinendas) ſub veſperam in caſtra rediêre. Fuit hæc victoria illuſtris, & paſsim hominum ſermonibus per Germaniam, Galliam, Angliam, Italiam, totamque adeò Europam celebrata. Vrbs quippe validiſsimis munitionibus cincta, tormentis maximis & plurimis cum apparatu tormentario præ aliis probè inſtructa, nec armis cæteris, nec præſidiario milite, nec civium bello induratorum frequentiâ deſtituta, nec fame aut commeatuum inopiâ adhuc laborans ſpacio dierum LXIII ad deditionem compulſa. Potiſsima verò accelerandæ deditionis cauſa fuit, quod hujuſmodi conditiones obſeſsis offerrentur, quibus gaudere potius, quàm dolere eos æquum erat. Nam Hiſpanicis nulla mulcta, nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Conditiones deditionis optimæ.

nulla alia pœna irrogata, civitati toti cum conjuncto agro jus ſocietatis ac fœderis cum victoribus commune reſtitutum, id eſt, ex hoſtibus ſocii facti, jura etiam à majoribus accepta, privilegia, totaque αὐτονομία victis relicta. Nec fœderatis ordinibus per multos annos fructuoſior victoria evênit. Quippe unâ hac urbe receptâ integra provincia ſocietati eorum adjecta, & pro provinciis ſex nunc ſeptem factæ. Novæ verò provinciæ Gubernator datus Comes GVILHELMVS hic noſter: cui paulò pòſt Drentia quoque acceſsit. Eidibus Iulii idem GVILHELMVS, & poſt eum MAVRICIVS princeps in urbem reverſus eſt cum comitatu ſplendiſsimo (nam tres Comites NASSOVII, Guilhelmi fratres, & tres item fratres SOLMENSES, itemq; WITGENSTEINIVS, & ante alios nominandus princeps ANHALTINVS, præterea delegati generalium ordinum, proceresque alii complures cum eo venêre) lætiſsimis rurſum acclamationibus aliiſque gaudii ſignis exceptus, atq; in ædes Verdugianas

Cō GVILHELMVS LVD. Naſſovius gubernator novæ provinciæ datus.

deductus.

deductus. Tum qui in ſenatu, quique in concilio XXIIII-virûm jurato fuerant, ſalvo ipſorum honore, uti convenerat, abdicati, illorum loco ſurrogati alii omnes reformatam religionem profitentes, plerique etiam ab exilio tum in patriam redeuntes: civitas tota cum magiſtratibus jurejurando in fidem ordinum fœderatorum adacta: templa quoque à ſordibus Papanis repurgata. Cætera conſtituenda gubernatori Com. GVILHELMO & Senatui novo relicta. Princeps MAVRICIVS in ſua rediit. Initio hyemis à fœderatis ordinibus delegati præcipuæ dignitatis viri Groningam venêre, qui cum gubernatore novo novam provinciam ordinarent, & de commerciis controverſias veteres inter civitatem & agrum, ac de judicii Camerâ, ſi poſſent, amicè componerent, ſi non poſſent, partium quieti ad tempus proſpicerent. Prius prudentiſsimè ab iis præſtitum: repetitum ſcil. id, ac denuò clarius ſtatutum, de quo in deditione convenerat, ut civitas & vicinus ager una eſſent provincia

Reſp. in urbe conſtituta.

Reſp. totius provinciæ conſtituta, & diſcordia inter oppidanos & agrarios pro tempore ſublata.

1595

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

bimembris: dein additum, ut iidem uno quoque uterentur collegio provinciali, quod ærario provinciæ & iis, quæ ad bellum pertinent, cum gubernatore præeſſet, & eccleſiarum redituumq; eccleſiaſticorũ per agrum curam haberet: in quo pari numero ſederent oppidani agrariiq;: utriq; etiam membro communia comitia eſſent, indicenda, cum res poſceret, à collegio: utrumq; membrum par jus teneret ſedendi Hagę in collegio generalium ordinum pro more cæterarum provinciarum, & aſſeſſorem dandi in ordinum ſenatu: civitati tamen ubique dignitatis prior locus tributus. In poſteriori etiam cum compoſitio non ſuccederet, civitas ad tempus in poſſeſſione relicta. In omnibus his ut induſtria ſumma, ſic ſumma quoq; ęquitas ac prudentia gubernatoris ſpectata, & à delegatis collegis laudata fuit. Attamen res ipſa variè admodum multorum animos affecit tum in provinciâ, tum extra eam, etiam eorum, qui amici habebantur, quia deſideriis temerè conceptis non ſatisfaciebat. Verum uſus ſtultorum magiſter

giſter docuit, eam tum huic provinciæ, tum toti viciniæ, atq; adeò univerſæ fœderatorum ſocietati fuiſſe ſalutarem. Per quæ tempora ab ERNESTO Auſtriaco de animo ſuo componendæ pacis peravido multa rurſum jactata, à paucis rurſum credita, ab omnib. neglecta, propterea quod facta dictis non congruerent. Nec is anno uno diutius in vivis manſit. Menſe Ianuario PHILIPPVS Naſſovius cum principe Bulionæo conſpiratione factâ in regionẽ Lucelburgenſem invadit, & loca aliquot munita occupat, plura & majora tentaturus, niſi auxiliis à Bulionæo impedito deſtitutus cœpta omittere coactus fuiſſet. Secutuſq; ſtatim motus eſt in Friſiâ Orientali, Emdanis in arma verſis contra Edſardum Comitem libertatem eorum prementem, qui ne periculum rebus ſuis daret, fœderati ordines ab utrâque parte rogati miſsis legatis viris prudentiſsimis ſeſe interpoſuêre, & controverſiis æquâ conditione compoſitis quietem ibi reſtituerunt. Eo tempore MAVRICIVS princeps ex decreto ordinũ cum exercitu

Philippi Naſſov. expeditio altera in provinciam Lucelb.

Motus in Friſiâ orientali.

Res in Geldria geſtæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

in Geldriam profectus ad Grollam caſtra poſuit, & vi eam adortus cum cognoviſſet Mondragonium rei militaris callentiſsimum, ducem veteranum in ſe magnis itineribus celeriter venire, ne loco iniquo ſe & exercitum in diſcrimen daret castra movit: & poſt aliquot dies Mondragonium ſecutus, qui non procul Veſaliâ inter Luppiam & Ruram fl. conſederat, eum per inſidias circumvenire ſtatuerat. Vnde occaſio nata triſtiſſimi caſus, qui Comitem GVILHELMVM Groningæ tum agentem, & curis publicis occupatum acerbo rurſum dolore perſtrinxit. Nam princeps fratrem ejus PHILIPPVM ſæpè nobis memoratum, virum planè Martii ingenii, qui expeditiones loginquas & propinquas ſæpè obierat, ad omnia ſumma natum cum aliquot equitum turmis ad eliciendum in locum iniquum Mondragonium emiſit, eique duos fratres alios LVDOVICVM ac ERNESTVM, & amitâ eorum natum ERNESTVM Solmenſem, cum quatuor peritiſsimis equitum præfectis addidit. Sed re detectā

Prælium.

ante

ante tempus ipſi in inſidias hoſtiles inciderunt. Quorum PHILIPPVS natu maximus, ac rei gerendæ præfectus fortiſsimè in hoſtem pugnans graviſsmo vulnere accepto captus paulò pòſt expiravit. Solmenſis etiam vulneratus in poteſtatem hoſtium venit, ſed tertio demùm die deceſsit, Erneſtus Naſſovius quoque captus haud parvo ſe ære redemit, Ludovicus equi curſu & difficili ſaltu in flumen Luppiam vix è manibus hoſtium ſe eripuit, & ad patruelem Mauricium, qui non procul cum exercitu aberat, incolumis pervenit. Mors Philippi toti domui Naſſovicæ ob præclaram & igneam ejus indolem, maximè verò patri & Guilhelmo fratri, cui percarus erat, luctuoſa fuit, & fœderatos ordines triſtitiâ affecit.

PHILIPPVS Naſſovius occubit.

Solmenſis vulneratus capitur, & Erneſtus Naſſ. Philippi frater, Ludovicus Naſſovius ægrè evadit.

Princeps MAVRICIVS & Mondragonius in eâdem iſtâ viciniâ poſt infelicem hunc caſum caſtra caſtris oppoſita tenuêre aliquandiu: demùm in diverſa ivêre. Tum belli initia inter Galliæ regem & Hiſpanicos in Belgii finibus renata, & AL-
BERTVS Auſtriacus Cardinalis defuncto 1596
fratri

Bellum inter Gallos & Hiſpanos renatum.

fratri Erneſto ſucceſſor datus cum prin-cipio anni MDXCVI in Belgium venit. Poſt cujus adventum fœdus inter Galliæ regem & reginam Angliæ percuſſum menſe Majo, & inter utrumque id regnum, ac fœderatos Belgii ordines menſe Octobri, cum jam Albertus cruentis oppugnationibus HVLSTAM Flandriæ ad deditionem compuliſſet. Quo ſucceſſu hic animatus majora aggreſſurus exercitum numeroſum peditum equitumque duce Varaxio Hiſpano, viro fortiſsimo, & longo belli uſu cuivis veterano comparando in Brabantiâ ad Turnhoutum oppidum cogit. Eo per exploratores cognito princeps MAVRICIVS cum equitibus DCCC, peditibus CC prægreſſus, reliquis, quos ſubitò contraxerat, confeſtim ſubſequi juſsis, quantâ omninò poteſt celeritate eódem contendit, & Albertinos famâ adventus ſui perculſos, ac in locum alium magis tutum & commodum recipere ſe ſatagentes, perque præcurſores ſuos in ipſo receptu retardatos magno animo invadit, & favente divino numine clariſſimâ victoriâ

ALBERTVS Auſtriacus fratri Erneſto ſurrogatus in Belgium venit.

Hulſta Flădriæ ab Alberto capta.

1597

Pugna, & illuſtris victoria princ. MAVRICII ad TVRNHOVTVM Brabantiæ. Menſe Iannario.

victoriâ potitur, antequam cæteri adeſſe poſſent. Cæſi hoſtium ſupra bis mille CC cum Varaxio duce, capti circiter D, atque in his junior Comes Mansfeldius, ſigna militaria XXXIX relata: totus ille exercitus diſſipatus. Victoriæ hujus decus poſt Mauricium Hohenloo & Solmenſi Comitibus, Verio & Sidneio Anglis, Morræo Scoto, Marcello Baxio Brabanto aſſcriptum. Poſt pugnã Turnhoutum à Mauricio occupatum, & militum præſidio commiſſum. Hoc caſu turbatus ALBERTVS à fœderatis in Galliam curas vertit, atque ibi ſingulari aſtu per Dorlani præfectum maximã iſtius tractus urbem AMBIANVM ad Somiam fl. intercipit: ad eamq́ue à rege obſeſſam periculo eripiendam omnes Brabantiæ, Flandriæ, Hanno- niæ, Arteſiæ, Lucelburgi vires fruſtrà impendit: fœderatos interea ſpecioſis verbis per literas & legatos Cæſaris, principumq́ue & reliquorum ordinum Germaniæ, regum Poloniæ & Daniæ, ut à curis belli eos tantiſper avertat, de pace cum Hiſpanis ineundâ, mirum quàm

Ambianum ab Alberto per inſidias occupatum.

Oſtentatio ſtudij pacis ineundæ cum fœderatis.

callidè tentat; ſed haud alio ſucceſſu, quàm quem fraus merebatur. Inter quæ decreto ordinum fœderatorum, quanquam jam præcipitaret æſtas, nobilis ad Rhenum ſuſcepta expeditio eſt, in quam conſiliorum & curarum principi MAVRICIO præcipuus ſocius cum lectiſsimo milite provinciarum ſuarum ivit quoq; Comes GVILHELMVS noſter: & hos comitati ſunt LVDOVICVS & ERNESTVS Guilhelmi fratres, & Hohenlous ac Solmenſis, & tum primùm militiam tẽtaturus HENRICVS FRIDERICVS Mauricii frater, admodùm adoleſcens, ſed iſtâ quoque ætate ad alta adſpirans. Exercitus eorum non tam numero quam robore valens, & apparatus omnis generis ſpectabilis, in quo tormenta majora cum omni inſtrumento ſupra XL: Quo freti MAVRICIVS & GVILHELMVS patrueles, occupatâ primum arce Alpenâ, RHENOBERCAM prævalido Hiſpanicorum præſidio inſeſſam, ac rebus ad defenſionem neceſſariis abundè inſtructam præter omnium expectationem ſpacio X dierum

Expeditio ſerotina fœderatorum ad Rhenum ſt.

Rhenobercа deditione capta à fœderatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

in poteſtatem redegerunt: deinde MORSAM aggreſsi, in quâ præſidiarii DCCCXX curabant, ſeptimo obſidionis die eâ ſunt potiti. Tum ſtructo ponte Rhenum transgreſsi GROLLAM, Goram, Brevoerdam, Enſcedam, Oetmarſam, OLDENZELAM, LINGAM denique, operibus pleraque & milite & inſtrumento militari, & commeatu benè munita ac inſtructa loca continuo victoriæ curſu intra bimeſtre ac biduum ſe dedere coëgerunt. Ex his Oldenzela & Enſceda in Tuentiâ munitionibus nudatæ, cæteræ præſidiis militum firmatæ. Hinc in hyberna diſceſſum. Noſter gubernator GRONINGAM menſe Novembri reverſus incredibili cum lætitiâ & congratulatione totius civitatis exceptus fuit. Totum namque bellum his oppidis captis trans Rhenum profligatum omnes omninò ſummoperè gaudebant. Sed gaudium hoc illibatum nobis haud diu manſit. Nam ALBERTVS proximo anno MDXCVIII pro gubernatore jam Belgicarum regionum PRINCEPS αὐτοκράτωρ cum

Oppida & loca alia munita in poteſtatem redacta.

1598

Albertus pr. Belgii αὐτοκράτωρ oſtẽtatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſponſâ ISABELLA regis Hiſpaniarum filiâ ex voluntate ejuſdem regis, & conſenſu filii ſucceſſoris (ſic enim ad fallendos homines ferebatur) ab ordinibus populi deſignatus, cum in Germaniam, Italiam, Hiſpaniam iturus eſſet, cum gubernatore vices ſuas geſturo ANDREA Auſtriaco Ferdinandi patrui ex Philippinâ Auguſtanâ filio è cardinalium numero FRANCISCVM MENDOZAM Hiſpanum, maris apud Aragonas pręfectum, in reditum uſque ſuum ſupremum belli ducem ſibi ſubſtituit. Is verò vix-dū iter ingreſſo Alberto ingentem exercitum magno ſtudio atq; impendio per æſtatem ab Alberto cōſcriptum in Cliviam ad Rheni cōfinia adduxit declinante jam menſe Auguſto. Habebat in eo exercitu præter infinitam calonum, lixarum, foſſorum, fabrorum, curruum, qui eum ſequebantur, multitudinem decies novies mille quadringentos pedites in armis exercitatos, armiſq; benè inſtructos, pleroſque etiam veteranos & emeritos Hiſpanos, Italos, Germanos, Burgundos, Gallo-Belgas, equites autem bis mille quingen-

Andreas Auſtriacus Car.

Franciſcus MENDOZA Hiſpanus armorū præfectus ſupremus in Belgio.

Eius expeditio contra fœderatos ad Rhenum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

quingentos, illos in cohortes CLXVIII, hos in vexillationes vel alas XXIIII diviſos; ordinum etiam ductores & præfectos lectiſsimos, bellis induratos, & caſuum militarium cum primis gnaros. Quid dicam, quantos ille terrores non vicinis ſolùm, ſed longius quoque remotis adventu ſuo injecerit? Nam quantum copiis militum, & belli artib. valebat (valebat autem plurimum inter omnes Hiſpanos) tantum ſævitiâ, & pluſquam barbarâ feritate cæteros ejus gentis qui tum vivebant, antecellere dicebatur. Cui nihil tam immane, tam atrox, tam injuſtum erat, etiam in eos, contra quos bellum non gerebat, & quos armis tueri potius quam premere debebat, quod non prætextu commodorum regis ſui (hujus n. auſpicia, non ALBERTI, profitebatur) & zelo religionis defendere ſe poſſe arbitraretur. Itaq; ORSOIA Cliviæ in Rheni ripâ occupatâ, & contra datam fidem retentâ, magniſq; operibus multo impendio munitâ, locis obvijs ac vicinis poſſundatis, Comite Falcoſteinio inermi immaniter trucidato,

Mendozæ ſævum ingenium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Succeſſus fœlix in bello contra inermes & pacatos.

Alpenâ, Buricâ, RHENOBERCA ſolo terrore ſuperatis & captis, ipſâ VESALIA Cliviæ metropoli ad duras & iniquas conditiones minarum denunciatione adactâ, dein Rheno trajecto, & Reſio, Embricâ, Dotecomio ad deditionem compulſis, multis heic illic crudeliter actis, demùm Novembri menſe in Weſtfaliam ſe infudit, ubique in innoxios ac pacatos, atque ad ſeſe nihil omninò pertinentes deſæviit, perindè ac ſi in hoſtico eſſet. Ad quem velut urſum vaſtatorem prohibendũ, ne in fœderatas provincias longius irrumperet, princeps MAVRICIVS & Comes GVILHELMVS patrueles mox poſt primos ejus motus exercitu multò minore educto, qui vix quinquies mille quingentos pedites, mille quingentos equites, ſed omnes viros fortes, & militarium rerum peritos complectebatur, tam ſolerter & fortiter rem geſſêre, ut ille præter turbatos Germaniæ ordines, & ejus partes nonnullas graviter afflictas nihil tantis copiis, tantoque apparatu dignum eo anno effecerit; fœderatis certè provin-

Expeditio fœderatorũ contra Mendozam ducib. princ. Mauricio & Com. Guilhelmo.

ciis, in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ciis, in quas potiſsimùm hæc paraverat, nocere magnoperè non potuerit. Copiis in hyberna deductis, dum MENDOZA Clivenſes, & Monaſterienſes, apud quos miles ejus hyemabat, fœdum in modum obterit, Oſnabrugenſes etiam, Eſſenios, VVerdenſes, Marcanos, Bergenſes incurſibus variis affligit, omnes Papam Rom. non adorantes gravibus minis territat, Calcariam, Goccham, Gennepum Cliviæ oppida invadit & obruit, VESALIAM ſolis minacib. literis ad deſerendam reformatam religionem, & Papana ſacra inſtauranda compellit, vicini Germaniæ ordines læſorum querelis excitati deliberando, decernendo, ſcribendo, denunciando bellum cum eo gerebant: CÆSARIS quoque literas verbis acres, rebus vacuas ceu tela tremenda in eum vibrabant. Ille verò omnia iſta temnebat, ridebatque, ordines ipſos deſpiciebat, deq; iis abjectiſsimè ſæpè cum ſuis loquebatur, interdum in formam aliam ſeſe vertabat, ut res videbatur poſcere, denique re ipſâ demonſtrabat, certum ſibi eſſe, nec

Mendozæ inſolentia ac improba facinora in ditionib. imperii Germanici.

à diſcor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

à diſcordibus illis, ac diverſa ſentientibus, nonnullis quoque occultè ſecum facientib. antiſtitibus mithratis quicquam ſibi metuendum, nec Cæſaris, domus Auſtriacæ capitis, indignationem ſimulatam magis quam ſeriam Albertino ac regio exercitui eſſe timendam. Quinimò per legatos ad ordines Germaniæ miſſos non veritus fuit, prætendens Hiſpani regis nomen, tum ipſum CÆSAREM tum imperij ordines neglecti officij accuſare, ac facta ſua quantumvis improba, & in imperium contumelioſa defendere, ordinibuſque inſultare. Deinde ex hybernis moturus receptâ Emricâ, & Bucoio Comite cum parte copiarum ibi collocato, grandius etiam & inſolentius ſonare, ſcopum armorum ſuorum eſſe, ex voluntate regis ſui omne nomen orthodoxorum per Germaniam, qui Papæ Romano nuncium remiſerant, delere, & idolomaniam reſtituere, principes & reliquos Germaniæ ordines contagio Lutherano aut Calviniano infectos, regis rebellium in Belgio fautores occultos aut manifeſtos caſtigare,

Ejuſdem inſolens jactatio.

gare, atque in ordinem cogere, contumaciamque eorum & licentiam coërcere; ad hæc verò conficienda, nihil ſibi invium futurum, vires regis ſui explicanti; ęquum eſſe, ſi quid incommodi in hac re expediendâ etiam amici, & Romano Papę obſequentes paſſuri ſint, ut id patienter ferant, majorib. commodis poſteà compeſſandum. Sed habitans in cælis deriſit eum, & omnia hæc in fumum vertit. Nam dum hic ſe parat, exercitumq; cogit, MAVRICIVS fœderatorũ dux magno ſtudio, magno impendio loca oportuna ad tardandum reprimendumq; hoſtem, & aditus ei in provincias fœderatas claudendos, maximis operib. munit, nulliq; labori & incommodo ſuo ad maturanda opera parcit: imprimis caſtellum à Martino Scenco quondam in exiguâ Rheni inſulâ, quâ Wahalis à Rheno divertit, obicem iis, qui in Geldriam ſecundo Rheno è Clivia deſcendere, & exercitus, cõmeatus, tormenta, impedimenta devectare volunt, propè inexpugnabile facit. Qui eodẽ tempore cũ turmę aliquot equitũ prædarum cauſâ caſtris

Mauricius Mendozæ ſe objicit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

exiſſent, eorum aſtu Bucojum Emricâ in inſidias cum militum manu pellectum in prælio leviuſculo captum, & Arnhemi ad ſe adductum in Hollandiam cuſtodiendum mittit. Deinde cum commovere ſe hoſtes cognovit ſurgente jam menſe Aprili, ipſe quoque copias cogit haud procul inde inter Wahalim & Moſam flumina, hoſtium motum conſiliaque obſervans, certiorque factus magnam exercitus Hiſpanici partem a MENDOZA in inſulam Geldriæ, quam Bommelanam vocant, VVahali & Moſâ circumfluam, duce Berlottâ, præfecto militum veterano eſſe miſſam, & Mendozam copias reliquas in regionem Brabantiæ huic inſulæ proximam, & Sylvæ Ducali vicinam ducere, ſine morâ impediundis conatib. illorum eôdem contendit cum patruele GVILHELMO. Et cum in inſulam quoque tranſiſſet MENDOZA, occupato jam caſtello Crevecorio in ſolo Brabantiæ ad Diſam amnem, ac Bommelæ premendæ die III Non. Maij exercitum admoviſſet, totamque belli vim iſtuc vertiſſet,

Bommela à Mendozâ obſeſſa, à noſtris fortiter defenſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

tiſſet, MAVRICIVS & NOSTER tam fortiter urbem defenderunt, omniaq́; impedimenta oppugnantib. objecerunt, ut indignans & fremens XIX obſidii die diſcedere ab eâ MENDOZA ſit coactus.

Obſidio ſoluta.

Qui hoc conatu non ſine magno incommodo ſuo dejectus, ne fruſtra in inſulam veniſſe videretur, in extremo ejus angulo, quâ ad Vornam inſulam aliam multo minorem iiſdem fluminib. circumfluam definit, prope Roſhemum vicum, caſtellum ingens moliri cæpit, ad utrũque flumen eo loci in poteſtate habendum, & Geldros, Vltrajectinos, Hollandos affligendos; id ex nomine Andreæ Auſtriaci, qui iſtuc quoq; advenerat, & ominis boni cauſâ ſacrum ibi fecerat, ANDREANVM appellavit.

Caſtellum Andreanum à Mendozâ extinctum.

Sed MAVRICIVS & GVILHELMVS caſtris juxtà poſitis, laborantes ejus milites ſic exercuerunt, & tot remoras iis injecére, ut multò tardius quam fortuna belli poſceret, opus progrederetur, & cum tempore ſumptuum plus perderetur. Interim varia in eâ vicinia tentata ab utrâq; parte, & opera operib. hic illic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

objecta, excurſiones quoque multæ factæ: Tandem MENDOZA jam nunc ſtipendiorum penuriâ laborans, cum putaret caſtellum Andreanum licet adhuc imperfectum contra obſidentium vim defendi poſſe, relicto illic magno militum numero, qui opus perficerent, tuerenturq́; cum reliquo exercitu in Brabantiam ſe contulit, & ad Alemum oppidum conſedit die IIII Eid. Iulian. ut rebus ſuis contra hoſtium incurſus proſpiceret. Ejus abſentiam in occaſionem vertens Comes GVILHELMVS Naſſovius Friſiæ noſtræ gubernator ex voluntate patruelis MAVRICII caſtris egreſſus cum magnâ exercitus parte feſtino itinere in agrum Zutfanienſem contendit, & Dotecomium, oppidum ab Hiſpanicis ſuperiore anno captum, præſidioq́; & rebus neceſſariis diligenter munitum, ſubito impetu invadit, oppugnat, & opinione celerius deditionem ejus præſidiariis nullâ adhuc inopiâ laborantib. extorquet poſtridiè Eid. Auguſti. Simul Sculenborgiam arcem vicinam ab hoſte quoq; inſeſſam recuperat. Hoc modo Hi-

Dotecomimium cum arce Sculenborgiâ à Cō. Guilhelmo Lud. receptum.

ſpanicis

ſpanicis è regione fœderatorum cis Rhenum rurſus ſubmotis, omnibuſq; ad loca ea tuenda benè curatis, pari celeritate, quâ iërat, & res confecerat, in caſtra ad Mauricium ſine incommodo, gaudente toto exercitu, hoſte ſtupente, revertitur. Sìc hi.

Verum GERMANI, qui Confluentiæ in Mendozam edictis contumacem bellum decreverant, non ſine dolo mithratorum tardius quàm cõvenerat, quamq; par erat, copias, quò debebant, mittebant: & hæ cum conveniſſent, nullo ordine regebantur, præfectique inter ſe de imperiis militarib. contendebant: ſummus imperator quanquam princeps naturâ bonus, & fide ac diligentiâ pręſtans, ſed rerum militarium minus peritus, ad obeundum munus ſuum, & compeſcendos diſcordes non ſatis autoritatis habebat. Et cum ad rem ventum, deprehendebant ipſi, multis apparatus, & inſtrumenti militaris partib. ſe deſtitui. Itaq; tormentorum majorum copiâ à fœderatis commodatò petitâ & impetratâ, cum de evocando principe MAURICIO inter ſe cõvenire nõ poſſent,

Germanorum expeditio contra Mendozam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ac illudi ſibi, aliquandiu à callido Mendozâ ſivissent, eſſentque numero & ſplendore armorum hoſte ſuperiores, velut oſtentaturi animos ſuos Rheno Moſâque trajectis in Brabantiam ſe inferunt: ſed nullâ re memorabili confectâ cis Rhenum redeunt. Ibi inito conſilio Reſium oppidũ Rheno accubans magnis operib. & firmo præſidio ab Hiſpanicis munitum, velut arcem belli, adoriri conſtituunt. Verum caſtris ad oppidum locatis, cum nec heic æmulationum & contentionum de re gerendâ finis eſſet, & inter ſe Philippus Hohenlous, & Georgius Eberhardus Solmenſis, qui longo tempore fœderatorum ſtipendia fecerant, & rerum militiæ ignari non erant, tum verò poſt Lippienſem imperatorem principum & ordinum quorundam nomine primum locum in exercitu Germanorum tenebant, ſententiis convenirent, alterq; alterius conſiliis obniteretur, nec Tempelii veterani equitum ductoris, qui & ipſe Mauricii & fœderatorum auſpicia per multos annos ſecutus fuerat, & tum Germanicę militiæ ſe dederat,

Germani Reſium obſident.

ἀταξία in caſtris Germanorum.

dederat, magna ratio haberetur, mileſq; ſtipendium flagitans imperiis non pareret, hoſtis verò in adverſâ Rheni ripâ è regione oppidi caſtra figeret, atque indies præſidium augeret, omniaque bello gerendo neceſſaria ad obſeſſos inferret, nihil, quod è rep. eſſet, actum. At cum in caſtra quoque fulminare tormentis cæpiſſent obſeſsi, & magno numero in obſidentes audacter erumperent, & cædes facerent, captivos abducerent, tormenta configerent, ex terrore crevit confuſio, & militum contumacia, præfectorum deſpectus, ut ad apertam ſeditionem res ſpectare videretur. Quo diſcrimine ultimo compulſi caſtrorum primores, qui ante ejuſdem rei gratiâ VVeijerum medicum gratiâ pollentem iſtuc legaverant, iterum Smeltzingium virum militarem fœderatis ob ſtipendia apud eos factitata notiſsimum ad MAVRICIVM principem & Com. GVILHELMVM miſerunt, ejuſq; ore per ſalutem communis cauſæ quam potuerunt enixiſsimè rogarunt, ut adſpirante ſecundâ voluntate Mauricii Comes

GVIL-

Com. Guilhelmus à Germanis in caſtra turbata evocatur.

GVILHELMVS quam celerrimè in caſtra turbata advolaret, & autoritate prudentiâque ſuâ prolapſa reſtitueret: diſcordes ſcilicet in concordiam gratiamq́ue mutuam reduceret, conſternatorum militum animos erigeret, tumultuantéſve ſedaret, &, quid factu optimum, demonſtraret: paratos primores autoritatem ejus ſequi. Is quamvis periculoſum nomini ac honori ſuo videret, rebus adeò turbatis & confuſis, ac jam penè deſperatis ſe miſcere, tamē amore reip. & conſilio patruelis commotus itineri ſine morâ ſe dedit. Verum in ipſo itinere cognovit, ob crebreſcentes & creſcentes tumultuantium militum clamores relicto Reſio Emricam caſtra jam mota eſſe. Quo cum veniſſet, tam turbida, & confuſionum ac trepidationum plena omnia præſens reperit, ut famam ex ingenio ſuo non auxiſſe illa, ſed potius minuiſſe judicaret: ipſorum verò ducum æmulationem & diſcordiam, dum caſtra moventur, magis magiſq́ue incenſam eò progreſſam eſſe, ut de remedio ejus jam planè deſperaret: rebus verò

Reſii obſidio à Germanis deſerta.

Com. GVILHELMVS ad Germanos venit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

verò deploratis ac perditis ſeſe amplius miſcere, & inter collidentes partes medium ſe dare, militumque furori nequicquam ſe objicere id dementiæ eſſe arbitraretur. Itaque recuſato honore & onere, conſilioque ſuo fortunæ præſenti quam maximè congruo amicis expoſito, precatus illis meliora, cum dolore diſcedens ad ſuos rediit. Statimque id, quod futurum præviderat, eſt ſecutum: exercitus ille omnis, neglectâ diſciplinâ militari, turpiſsimis, & ante alios abeuntibus Brunſvigiis, turpiter dilapſus, magnifica cœpta præproperè & abjectè dimiſſa, tanta impendia prorſus perdita, hoſtibus riſus ab ea parte relictus. A noſtrâ parte ſic actum duce virtute, comite conſtantiâ, ut hæc Mendozæ expeditio in alterum protracta annum multò magis luctuoſum eventum ipſi & Alberto Hiſpanicisq; omnib. quam nobis ſit ſortita. Hęc ſcilicet eſt eximia & verè admirabilis virtutis & ſcientiæ imperatorię, diſciplinæque militaris vis & præſtantia, quæ in his exemplis, velut in ſpeculo clariſ-

Idem ad ſuos redit.

Exercitus Germanorum turpiter dilapſus.

Conventus ordinum fœderatorum Gorchemi.

ſimo clariſsimè eluceſcit. Fœderati ordines, qui magno numero in obſidione Bommelæ nuper fuerant, vergente autumno GORCHEMI conventum egêre, eoq; cum MAVRICIO principe Comitem GVILHELMVM evocavêre. Deliberatum illic de ſumptib. in futurum annum minuendis, (nam hujus anni impendia in opera & apparatus facta, demptis militum ſtipendiis, quanquam neceſſaria fuiſſent & maxima commoda reipub. attuliſſent, modum tamen exceſſerant) de rationibus conficiundæ pecuniæ ad nomina delenda, de bello in æſtatem proximam gerendo. Duces ad exercitum reverſi. Poſt dies aliquot, cum inhorreſceret aër, exercitus ex caſtris in hyberna dimiſſus. Bucojus Comes ſoluto lytro aureorum vicies millium paulò antè ex captivitate Hollandicâ liber factus. MENDOZA de caſtello Andreano tuendo, velut arce in Hollandos Geldroſque ſtructâ ante omnia ſollicitus, eique de præſidio valido pariter & commeatu atq; omni belli inſtrumento per autumnum proſpiciens, & ſimul

Conſilia & acta Mendozæ.

Brabantiæ

Brabantiæ vicinæ metuens non procul inde potiſsimam exercitus ſui partem in caſtris habuit quamdiu fœderati in armis erant. Iis verò in hyberna digreſsis, cum aër gelu promittere videretur, id operiens, oportunum ditiſsimo Hollandiæ agro percurſando & diripiendo, & prædis ejus famelicorum militum ſuorum ſtipendia flagitantium cupiditati explendæ ultra anni rationem uſque in adultum Decembrem, cum jam VIII gradum Capricorni Sol permearet, eaſdem illas copias iiſdem locis fruſtrà ſub pellib. retinuit, cum ante aliquot dies, poſcente Cæſare, volente Alberto RESIVM ad Rhenum educto præſidio Cliviæ duci reſtituiſſet. *Reſium à Mendozâ relictum.* Albertus enim cum Iſabellâ ſuâ in Belgium nuper reverſus, ducum noſtrorum virtutem, & fœderatorum vires metuens, & ipſe pecuniæ preſſus inopiâ, militumque ſuorum pecuniam poſcentium fremitum formidans, ad hæc Ordinum Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ, & cæterarum regionum ibi parentium pacem uno ore flagitantium & bellum execrantium voces perhor- *Subdola de pace conſilia.*

 reſcens,

reſcens, Cæſarem fratrem exoraverat, ut rurſum pacis ſequeſtrum ſe profiteretur. Cui rei Reſii reſtitutio, & militum è finib. imperii revocatio ſubſerviebant. Sed fœderati retia tantum libertati ſuæ capiendæ necti hac actione ſcientes rurſus eam quamvis importunè flagitatam, iteratoque propoſitam conſtanter rejecerunt, & ad ea, quæ ad bellum gerendum pertinebant, maturè ſe pararunt. Horum
1600 itaque auſpiciis Ludovicus Naſſovius anni ſequentis menſe Ianuario cum aſperum gelu uligines & aquas omnes militib. pervias feciſſet, Wachtendoncum Geldriæ oppidum inopino incurſu oppreſſum capit. MAVRICIVS verò etiam opinione hoſtium citius ex hybernis ſe movens caſtellum Crevecorium ad Diſam amnem in Brabantiâ, Sylvæ Ducali vicinum prævalidum, ſed aliis rebus neceſſariis deſtitutum, repentè invadit, & intra quatriduum dedente præſidio ſuæ poteſtatis facit. Inde ſtatim vires in ipſum ANDREANVM caſtellum non longè iſtinc diſsitum vertit, & exercitu operibuſque multis un-

Crevecórium à pr. Mauricio captum.

Caſtellum Andreanum ab eodem obſeſſum.

dequaq; cinctum, aquiſq; fluminum vicinorum in agrum illic per ruptos aggeres immiſsis inſulæ in formam redactum, ſimulq; tormentorum multorum fulminib. diu multumq; infeſtatum in ſummas anguſtias compellit. Quod quanquam ignotum Mendozæ non eſſet, tamen ſuccurrere ſuis in caſtello laborantibus & fortiter rem gerentib. non potuit. Nam ſubitò, ut res poſcebat, juſtas contrahere copias, & Mauricium locis occupatis & munitis maturè dejicere, & ſuppetias optatas obſeſsis ferre, fortuna ejus præſens non patiebatur. Ob ſtipendia enim à multis menſibus non ſoluta murmurantes & frementes, pleroſq; etiam ſtomachantes milites, ac hoſtilium prædarum ſpe fruſtratos nuper, per varia & procul inter ſe diſsita loca hybernandi cauſâ, quod id contra ſeditioſas conſpirationes tutiſſimum eſſe arbitraretur, diſperſerat. Eos verò celeriter jam cogere rurſus, & ad belli labores ac diſcrimina ſtipendiis nondum dependſis vocare & difficile & periculoſum videbatur. In proximis autem, qui in

oppidis vicinis præſidia agitabant, ſatis virium ad rem tantam tentandam non erat. Demum ſapiente conſilio uſi fœderati autore principe MAVRICIO, tum ut longis impendiis parcerent, (magno enim in ſingulos dies obſidio conſtabat) tum ut reconciliationem indignantium militum hoſtilium anteverterent, tantámque rem tempeſtivè confectam darent, promiſſâ reſtantium ſtipendiorum ſolutione, cujus erant illi avidiſsimi, adjectis conditionibus aliis haud ingratis, die, ex quo inſtaurata obſidio erat, XLIII, Kal. ſcil. Maij VI, de caſtello cum omni inſtrumento & apparatu commeatuque dedendo cum præſidiariis viris fortiſsimis tranſegerunt. Deditio ipſa biduo pòſt facta, tormentorum majorum, pulveris pyrii, globorum ferreorum, frumenti ingens copia tradita: præſidiarii, veterani omnes, militiæ ordinum volentes adſcripti, nunquam ad Hiſpanicos redituri, ſed in præliis aut victuri, aut honeſtam mortem certo animi propoſito oppetituri, nō neſcientes ſuppliciis turpib. & acerbis ſe

Caſtellum Andreanum Mauricio & fœderatis deditum.

perituros,

perituros, ſi in poteſtatem iſtorum vivi pervenirent. Sic tanti ſumptus ac labores, atque exantlata pericula cum jactura temporis hoſti periêre, noſtris graviſsima pericula deceſsêre, arxque tam oportuna tuendis illic finibus acquiſita. Lubens hoc loco (nam hujus ea temporis eſt,) lubens, inquam, prætereo graviſsimam civitatis hujus noſtræ fortunam, quam non hoſtilis vis, aut cœli aliqua inclementia, ſed ſiniſtra ſociorum ſuſpicio, ac infelix error, forſan etiam quorundam malevolorum livor huc accedens, ei haud meritò irrogavit: cujus velut fulmine reliquum quoq; provinciæ hujus nihil minus quàm hoc expectans afflatum ſtatim fuit. Prætermitto inquam, ſilentio, ne commemoratione ejus importunâ tum nobis, qui eàm perpeſsi ſumus, tum illis, à quibus irrogata nobis eſt, quos conſilii factique vehementer piguit pœnituitq;, dolorem temerè refricem. Quam tempeſtatem (verè enim tempeſtas inopina & infauſta fuit) cum avertere à nobis optimus gubernator noſter non poſſet, tanto animi dolore

Groningâ inopino turbine correpta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

lore percuſsus eſt, ut ab obitu cariſsimæ conjugis ſuæ nihil acerbius ſibi unquam accidiſſe ſæpe gemens ſit teſtatus. Revertor ad ea, quæ bello ſunt geſta. Fœderati capto tam feliciter caſtello Andreano aucti animis majora tentanda ſibi putavere. Deliberatum Hagæ, an occupandis locis Moſæ finitimis per Brabantiam victoria eſſet perſequenda, an in ultimam Flandriam ducendus exercitus, & Duinkerca omnib. navigantibus cum ſummo commerciorum, totiuſq́; fortunæ publicæ detrimento jam-dudum infeſta, invadenda. Nam non defenſivè, ut loquuntur, ſed offenſivè tum cum hoſte agendum inter omnes conſtabat. Illud tutius eſſe, & minorum ſumptuum, hoc animoſius quidem, ſed multò periculoſius ſimul & ſumptuoſius multis videbatur. Et erant tum non pauci, qui minuendos potius ſumptus quam intendendos ob tributorum gravitatem, quib. populus ubiq; premeretur, & ęs alienum paſsim creſcens arbitrarentur, & tutiora periculoſiorib. præferenda cenſerent. Repetebaturq́; Comitis

Deliberatio fœderatorũ Hagæ de bello gerendo.

GVILHELMI oratio jam ante in fœderatorum ordinum conventu, cum eâdem de re diſceptaretur, ab eo habita: Duinkercam ſcilicet procul a finib. noſtris in extremâ Flandriâ poſitam eſſe, ad quam ſi bellum eſſet gerendum, omnia hoſtibus magis proclivia, nobis adverſa aut difficilia futura, & unius oppidi non magni oppugnandi gratiâ eventu incertiſſimo univerſam propè fœderatorum fortunam in diſcrimen dandam. Sed vicit Hollandorum & Selandorũ ſententia; qui cum plurimum in rem communem conferrent, affirmabant ſine purgato mari, & prædonũ receptaculis clauſis aut everſis, nec fortunam ſe ſuam tueri, nec quam res ſæpe poſceret, ſociis opẽ deinceps ferre poſſe: contendebantq; nec tanti rem periculi eſſe, quantum ab aliis jactaretur: Oſtendam quippe in mediâ ferè longitudine litoris Flandrici ſitam non admodum procul ab iis locis, in quib. bellum gerendum, in fœderatorum poteſtate eſſe, oportunam exercitib. commeatib. belli inſtrumentis, impedimẽtiſq; invito hoſte à mari recipiẽdis:

Expeditio in Flandriam decreta.

 Albertum

Albertum verò cum Mendozâ ſeditionib. militum ſuorum impediri, (paſsim enim ob non ſoluta ſtipendia tumultuabantur) quò minus in tempore expedire exercitus, & occurrere noſtris poſſent: hanc pulcherrimam occaſionem negligere id eſſe, fortunam ſuam projicere & peſſum dare.

Mauricius exercitum ducit in Flandriam.

MAVRICIVS princeps quamvis diſcrimina ancipitia prævideret, quâ erat animi magnitudine, nihil detrectans, quod è re ſocietatis fœderatæ eſſe putabatur, in eam expeditionem omnib. opinione celerius rectè paratis, in Selandiâ copias navibus impoſitas coire juſsit, eoq́ue mox ipſe ſecutus cum ventus non reſponderet, nec pateretur inde in portum Oſtendanum, quod conſtitutum erat, enavigare, poſt paucos dies, ne tempus rei gerendæ ſibi periret, & exercitus in navibus marceſſeret, mutato conſilio, in proximam Flandriæ oram trajecit, ibiq́ue exercitum expoſuit complexum XII millia peditum, duo millia equitum optimè armatorum, cum magno tormentorum majorum & apparatuum omnis generis copiâ. Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

omnia vexerat claſsis navium numero, cum è Selandia ſolveret, MDCCC, quanta hactenus in Belgio viſa non fuerat. Saſſo (hoc nomen loco, ubi è navib. in terram deſcenderat) ſubmotis in itinere obſtaculis, præter mœnia urbis Brugenſis Oſtendam ductus exercitus, eoq́ue ſine incommodo ventum die XVII Iunii Iuliani, dieb. VIII in itinere & morâ in Selandiâ conſumptis, cum fortunę belli non parvo diſpendio. Nam ſi licuiſſet ſine morâ ex Selandiâ ſolvere, & portum Oſtendanum vento ſecundo contingere, caſtra ſine dubio ad Neoportũ munita, oppidumq́; in arctum redactum Mauricius habuiſſet, priuſquam Albertus commovere ſe potuiſſet. Expugnato illic per Comitem Solmenſem caſtello Albertino, (id ei nomen à principe datum) ad occidentem Oſtendæ ad duo ferè paſſuum millia in ipſo litore ab hoſte extructo benè valido, & captis aliis aliquot momenti levioris circum oppidum idem ſitis, & ubique prę ſidiis pro re præſente collocatis, cum toto reliquo exercitu Neo-

 portum

Exercitus fœderatorũ Neoporto Flandriæ admotus.

portum MAVRICIVS petit, & non ſine ambage ob amnem cis oppidum in mare exeuntem, ac abſque ponte non pervium iſtuc pervenit. Eſt NEOPORTVS oppidum Flandrię modicũ prope maris litus, ab Oſtendâ occidentem verſus circiter XII, à Duinkercâ verſus ortum pluſquam XX paſſuum millib. diſjunctũ, ſine quâ in poteſtatem redactâ res geri ad DVINKERCAM non poterat. De eo igitur invadendo, cui exiguum tum præſidium inerat, dum ſe parat MAVRICIVS, exercitus ſui parte majore trans amnem verſus oppidũ, minore cis eum in maris litore diſpoſitâ, ligoneſq; muniendis caſtris molitur, audit ipſum ALBERTVM & MENDOZAM cum numeroſo & veterano exercitu feſtinos rectà in ſe venire pugnę perquàm avidos. Albertus enim de totâ fortunâ ac ſtatu ſuo ſollicitus & conſternatus, cum de Mauricii apparatu & itinere factus eſſet certior, in omnia ſe verterat, pluſquam aureos montes promittens, & faciendę cauſâ fidei nulla poſtulata, nullas conditiones rejiciens, partem quoq; ſolutionis ſtatim præſ-

Albertus archidux & Mendoza cum exercitu eôdem contendunt.

tans,

tans, deniq; ad preces etiam blanditiaſq; deſcendens, victoriam verò glorioſam æquè ac fructuoſam, eandemq; non minus facilem quàm certam citamque oſtentans, ut ſeditioſum militem ſuum, per Brabantiam & Flandriam hoſtilem in modum graſſantem ſibi reconciliaret: idq; opinione omnium citius effecerat, præſertim eorum, qui expeditionis hujuſce periculoſiſsimæ autores ſuaſoreſque præcipui, & penè importuni fuerant. Tum MAVRICIVS in re ancipiti & inopinâ ſe non deſerens, patruelem ERNESTVM Naſſovium, quem cis amnem præeſſe juſſerat, cum cohortib. peditum XIX, equitum centuriis IIII & tormẽtis majorib. duob. ſine morâ emiſit ad occupandum pontem amni impoſitum, per quem ipſe tranſierat, ut Albertinos iſtic tranſitu prohiberet, & iter eorũ tantiſper moraretur, donec ipſe ſuos cis amnem traduceret & aut commodo loco aciem ſtrueret, aut cum hoſte ad pontem decertanti auxilio accurreret. Verum anteverterant hunc Albertinorum primi, & prælio cum eo conſerto longè maximã

Copiæ Erneſti Naſſovii ab Albertinis diſſipatæ.

Alberti & Mendozæ vana fiducia.

copiarum ejus partem, quæ Scoticæ gentis erat, conciderant. Quâ fortunâ magis animis ſublati Albertus & Mendoza, ac de univerſâ victoriâ jam velut certi, cum exercitu quantâ poterant feſtinatione in Mauricium cõtenderunt, ſperantes nec opinantem eum, & caſtris nondum rectè poſitis, nedum communitis loco aperto in hoſtico non procul mœnib. infeſti oppidi hærentem & conſilii ambiguum ſe oppreſſuros, atq; uno felice prælio totum penè bellum confecturos, aut certe cæſo profligatóve Mauriciano hoc exercitu in deſperationem de tuendâ reliquâ fortunâ fœderatos ordines eſſe adacturos: denique præter triumphum jam nihil crepabant. Et profectò in eum caſum nunc res devenerat, ut aut vincendũ illic Mauricianis, aut pereundum, aut in hoſtium vincula eundum eſſet, cum fugæ ratio nuſpiam pateret. Atqui in hoc diſcrimine extremo roboravit DEVS animum principis MAVRICII, qui perinde ac ſi diſcrimen jam ſuperatum eſſet, nullo dato timoris aut ſollicitudinis trepidæ ſigno,

Pr. Maurícii magnanimitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſigno, ſummam fiduciam rei benè gerendæ cum ſummâ alacritate in vultu, in ſermone, in omnib. quæ ageret, præ ſe tulit, ſimilemq́ue alacritatem ac fiduciam in omnes legatos ac præfectos, totumq́ue adeò exercitum ſuum transfudit. Nec parum præſidii in eo fuit, quod paucißimi in exercitu illo eſſent, quos non vetus diſciplina militaris in tractandis armis, in feriendis hoſtib., in ordinib. ſervandis & commutandis, iiſve contrahendis aut extendendis, jungendis aut diſjungendis, à gubernatore noſtro pridem reſuſçitata formaſſet ad unguem. Erant tum cum Mauricio multi illuſtrib. familiis nati, HENRICVS FRIDERICVS Naſſovius ipſius frater adhuc adoleſcentulus, qui ſeponi extra periculum, cum ingruere hoſtis diceretur, nullo modo voluerat, IOANNES ADOLFVS Holſatiæ dux, IOANNES ERNESTVS princeps Anhaltinus, Comites tres Solmenſes, Colignius Caſtilionæus Amiralii Galliȩ nepos ex filio, Grajus Anglus, & complures alii, velut contubernales imperatoris, ſine ſtipēdiis Mauricium ſecuti,

diſcendæ rei militaris gratiâ, qui diligenter omnia ejus obſervabant, & virtutem ſolertiamq́ue ſummoperè admirabantur. Præter hos verò ordines ſub eo ducebant, & præſentes aderant LVDOVICVS Naſſovius ſupremus equitum magiſter, FRIDERICVS & GEORGIVS Solmenſes, legionum legati. Omnibus ad pugnam jam diſpoſitis, atque acie inſtructâ, cum in conſpectum ſe daret hoſtis ſecundum litus incedens & gradum accelerans, MAVRICIVS navib. onerariis procul inde faceſcere juſsis, ne quis iſtuc fugæ cauſâ reſpiceret, ad ſingulas aciei partes adequitans omnib. præcepta dat, animos ad fortitudinem exſuſcitat, aut vincendum hac pugnâ, aut mortem oppetendam oſtendit. Nec ſibi ac ſuis defuere ALBERTVS, MENDOZA, Bergenſis, Bucojus, Barlamontius, Velaſcus, Barlottus, Monrojus, Davalus à parte adverſâ, omnes bello ſpectati. Cum poſt mutuum intuitum breviſsimi temporis velut animis collectis cœpiſſent concurrere circiter mediam horam quartam poſt meridiem, antever-

Prælium ingens & difficile ad Neoportum Flādriæ.

tentib.

tentib. Mauricianis commiſſum eſt prælium validum magnâ utrinq; animorum obſtinatione ac pertinaciâ loco difficili in ipſa maris orâ arenarum tumulis aſſurgentib. impeditâ, quale nec præſens, nec proximè præcedens ſæculum in his ac vicinis regionibus viderat aut audiverat, duravitq; diu per horas plus minus quinque fortunâ incertâ, cum tandem ſub occubitum Solis victoria jam certa ad principem Mauricium conceſſit. Dein effuſa fuga Albertinorum, & cædes ad primas uſque noctis tenebras. Victi nimirum, qui victoriam certò ſibi polliciti erant, & ſupplicijs eos, quos ſuccubituros putabant, deſtinaverant. Cæſi horum ſupra quinquies mille; noſtrorum bis mille quingenti. Captus in pugnæ fervore ipſe MENDOZA, Germaniæ nuper terror, & cum eo præfectorum bello clarorum virorum multi, aliorum verò numerus magnus. ALBERTVS, cujus auſpicijs res gerebatur, cum diu intrepidè munus imperatoris impleſſet, & caput periculis objectaſſet, demũ amiſſo equo, abjectis

Mauricii illuſtris victoria.

MENDOZA terror Germaniæ captus.

Alberti fuga.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

armis, à fidiſsimis adjutus vix fugâ ſe è victorum manibus eripuit, poſtridieque ad Iſabellam ſuam rediit, qui in pugnam iturus imperatorem hoſtium Mauricium captivum & vinctum ad eam ſe adducturum jactaverat. Cum eo evaſêre Bucojus, Barlottus, Aumalius, Davalus. Alii aliâ viâ ſe explicuêre. Signa militaria à noſtris capta peditum CVI, equitum IIII, omnia publicis locis memoriæ cauſâ fixa: torméta etiam hoſtium cuncta intercepta. In prælio hoc cruento poſt Mauricium principem, qui optimum imperatorem & fortiſsimum militem in eo ſe præſtitit, & quocunq; fortuna prælii poſcebat, intrepidè ſeſe intulit, ac pugnantib. periclitantibuſque adfuit, Ludovicus Naſſovius ejuſdem patruelis, equitum magiſter, gubernatoris noſtri frater, egregiâ virtute ſecundas laudis ac meritorum partes tulit, domuſque Naſſoviæ decus non ſuſtinuit ſolum præclarè, ſed auxit etiam. A victoria Oſtendam poſtridiè reverſus eſt MAVRICIVS tum ut militem feſſum recrearet, tum ut conſilium cum delectis

Ludovici Naſſovii in prælio præclara virtus.

X ordinum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ordinum fœderatorum, qui illic ſubſtiterant, caperet. Ibi fœdâ tempeſtate per triduum detentus cum ea paulùm deſævîſſet, ex concilii ſententiâ ad perſequendum id, quod cœptum erat, Neoportum exercitum reduxit. Sed cum eadem tempeſtas reſurgeret, & foſsiones in orâ maris prohiberet, ac præſidium, quod duûm millium armatorum interea cum Barlotto acerrimo duce in oppidum venerat, identidem excurreret, laboribuſque intentos infeſtaret, & Albertus è præſidiis & vicinis regionib. Arteſiâ, Hannoniâ, Brabantiâ copias novas cogeret, poſt dies XII ſublatis rurſum caſtris, videns omnia ſibi iſtic impedita futura, Oſtendam, atq; hinc Selandiam & Hollandiam cum ipſis delectis repetiit. Nec eo anno quicquam amplius memoriâ dignum bello geſtum. De pace rurſum ab Albertinis more ſolito, id eſt, parum ſincero cum fœderatis actum, ſed nihil confectum. Inter hæc GVILHELMVM gubernatorem noſtrum moleſtiſsimo negocio Groningæ adhuc implicitum negocium

Mauricius victor rediit in Hollandiam.

aliud difficillimum ex diſcordia ordinum in Friſiâ Tranſlavicanâ excepit. Ea diſcordiâ originem ducens ex re non magnâ cum ambigeretur de quęſtore novo deſignando, tantos fecit progreſſus, ut in ſummum diſcrimen totam provinciam adductura videretur. Nam de contributionum ratione, de collegii provincialis & ęrarii ſede, de juriſdictione ſummi ſenatus gravis contentio mota: eaque ita exarſit, ut Oſtergoi & Weſtergoi à civitatib. & Sevenvvoldiis ſeceſsionem facerent, & relictâ vetere ſede Leovverdiâ Franekeram collegium tranferrent, quæſturam æręriumque ſcinderent, judicium ſummum temnerent, deniq; arma quoq; caperent. Atq; his miſcuêre ſe quidem Hagâ à fœderatis miſsi, velut compoſituri controverſias; ſed ii verè oleum, quod ajunt, camino affudêre, ut alienam diſcordiam in rem ſuorum vertere velle viderentur. Quibus omnibus turbatus vehementer GVBERNATOR, & Groningâ evocatus, atq; ad ſananda mala magno ſtudio multa conatus cum parum proficeret, demum

Diſcordia ordinum in Friſia.

Gubernatoris ſtudium componendæ diſcordiæ.

armata

armata auxilia contra contumaces ſecedentes ex officii ſui ratione rogatus eâ moderatione in omnibus egit, ut omninò immemorem ſeſe veterum ſimultatum & offenſarum nihil aliud quærere re ipſâ demonſtraret, quam ut ſartâ inter diſsidentes gratiâ reſp. ab imminente exitio ſervaretur. Nec deſtitit ante monendo, rogando, conſulendo, quam effectum dediſſet, ut viris VIII ſapientiſsimis & æquiſsimis ac ſpectatiſsimis quibuſque ex totâ provinciâ electis poteſtas conferretur ex æquo & bono litis finiendæ, & concordiæ ordinum reparandæ. Quod ſuſceptum ab iis, ac tandem feliciter confectum. Gratiæ his & gubernatori actæ: vulnera obliterata: mulcta è rep. ſapienter beneque ſtatuta. Exierat jam annus MDC, & inierat MDCI, cum tranquillitas hæc pulſâ tempeſtate Friſiam reviſit. Quo anno fœderati nihil territi famâ novorum ſubſidiorum ingentium, quæ Alberto ex Italiâ & Hiſpaniâ ad octo millia armatorum adduci ferebantur, de recuperandâ RHENOBERCA ad aperienda ſibi libera

Concordia ordinum in Friſia reparata.

1601.

Rheno-Berca à fœderatis obſidione cincta.

commercia conſilia inierunt. In eam expeditionem profectus pr. MAVRICIVS novis quoque copiis ex Galliâ & Britanniâ auctus, & cohortib. veterib. milite in Belgio, & vicinis locis ſcripto ſuppletis poſtrid. Kal. Iunii ad oppidum caſtra poſuit, eumque ſecutus eſt ſtatim patruelis GVILHELMVS IIII Kal. Groningâ digreſſus: aderantque ejuſdem fratres duo LVDOVICVS & ERNESTVS cum Solmenſi amitino. Erat oppidum tunc maximis operib. vallatum, & validiſsimo veteranorum bis millium præſidio munitum, rebuſque omnib. ad defenſionem probè inſtructum, incommodo quoque ad obſidendum loco ſitum: præeratq; ei & præſidio Ludovicus Avila Hiſpanus, vir fortis & longo militiæ uſu eruditus. Noſtri ſtatim à muniendis caſtris contra externam auxiliorum vim, contraque præſidii excurſiones rem ſunt orſi: ſimul inſula Rheni oppido objecta fugatis præſidiariis occupata, indeque oppidum tormentis petitum, & auxiliis, ſi qua eâ parte ventura eſſent, aditus præcluſus: atque inte-

rim

rim cum pręſidiariis excurrentib. & caſtra infeſtantib. hic illic dimicatum: viæ cæcæ quoque à foſſorib. per ambages oppidum verſus excavatæ, aggeres contra obſeſſorum munitiones erecti: demum teſtudines per medias foſſas ad vallum, portas, propugnacula magno labore, miro militum ſtudio & æmulatione mutuâ, perductę: poſtremò cuniculi ſub iis ipſis ad ea ſubruenda acti. Quibus perculſi, & extremo diſcrimine circumventos ſe ſentientes pręſidiarii, omnia, quæ fortes & fidos milites decent, tormentis, ferro, igne fruſtrà experti, imprimis cogitatione propugnaculi ante oppidum per cuniculum vi pulveris introſi, cum magnâ ſuorum pernicie nuper diſjecti, vehementius commoti intra dies XLIIII ab obſidionis initio ſeſe MAVRICIO principi dediderunt: Nec ſanè mirum, cum noſſent iidem, bis mille equites, quinquies mille pedites, Bergenſi & Bucojo ducib. ſubſidio ſibi fuiſſe miſſos, ſed eos ne tentare quidem fortunam certaminis auſos, propter validiſsimas caſtrorum Mauricianorum munitiones, retrò

Rheno-Berca Mauricio & fœderatis dedita.

retrò pedem tuliſſe, ac ſe ſine auxiliorum ſpe velut deſertos reliquiſſe. Deditio facta die XX Iulij. Egreſſi ex oppido dedito armati integris virib. MCCXLVII, ſaucij aut morbis debiles CCCLXX, claſſiarij LXXVIII: præter duo campeſtria tormenta Avilæ condonata cætera omnia cum apparatu, & commeatu victorib. relicta.

Moerſa à Mauricio occupata.

Tum MOERSA quoque teſtamento ipſi nuper donata, ejectis Clivenſib. qui eam invaſerant, ab eodem MAVRICIO occupata, & validioribus operibus ſumptu maximo ex voluntate ejus munita.

Oſtenda Flādriæ ab Alberto obſeſſa.

Inde exercitu in Hollandiam & Selandiam reducto & quiete, quâ opus habebat, recreato, quamvis multa difficilia obſtarent, adulto jam Octobri ad Albertum Oſtendâ, quam trimeſtre & amplius jam obſederat, abſtrahendum, in Brabantiam expeditio ſuſcepta, & ad SYLVAM DVCALEM caſtra locata, operaq; ad eam premendam ac invadendam magno labore, magnis animis inſtituta, atque ea, quib. Comes GVILHELMVS (nam & is cum Mauricio principe, ac duob. fratribus

Sylva Ducalis in Brabantia à fœderatis obſeſſa.

iſtuc

iſtuc ierat) præerat, ante omnia alia quàm proximè ad urbis mænia perducta, eâque parte terror præcipuus obſeſsis injectus. Sed quoniam Alberto certum, Oſtendam non relinquere, cui ipſe aſsidebat, & urbs obſeſſa grandis, obſeſsique viri fortes atq; animis obfirmati, & hyems aſpera multis incommodis obſidentes premens, (nam Sol VI gradum Sagittarij jam tenebat, & aër gelu gravi inhorruerat) & copiæ auxiliares per invia glacie concreta in urbem ingreſſæ, & alias multò majores, juſti exercitus inſtar duce Bergenſi Friderico, & Bucojo coire, & ad invadendas diripiendaſque regiones fœderatorum ſeſe parare nunciatæ, prudenti conſilio à Mauricio & Guilhelmo obſidio ſoluta, & exercitus in hyberna abductus. Hyeme nondum exactâ, liberandæ Oſtendæ, cujus obſidionem cum frequenti oppugnatione ne per hyemē quidē miſſam fecerat Albertus propoſiti pertinax, novus apparatus à fœderatis factus, conſiliaq; nova inita repetendę, & per intima penetrandę Brabantię, eumq; in finem novis copiis auctus exercitus. Nec

Obſidio Sylvæ Ducalis ſoluta.

1602.

ſegnior Albertus, ut ſe ſuaque tueretur, & tamen ab obſidione Oſtendæ diſcedere neceſſe non haberet, etiam ipſe augendis copiis ſuis novum militem conſcripſit, & exercitum hoſtili majorem conflavit. Sed fœderatorum imperator MAVRICIVS, & cum eo Comes GVILHELMVS, his talibus non territi, ſtipati fratribus ſuis, exercitum ſuum omnibus rebus inſtructiſsimum, agminibus diverſis diſſtinctum in Brabantiam duxêre, longoque XV dierum itinere, compoſito gradu progreſsi non procul Thienâ oppido poſitis ac firmatis caſtris conſedêre, ad dimicandum parati, ſi MENDOZA nuper è vinculis dimiſſus, qui cum exercitu Albertino non procul aberat, & veſtigia exercitus noſtri obſervabat, pugnæ poteſtatem faceret. Cum verò poſtridiè in aperto quoque acies à noſtris explicata, & Mendoza per cohortes aliquot, & complures alas equitum procurrentes fruſtrà ad pugnam provocatus eſſet, cautior fortunâ priore factus, noſtri verſo repentè itinere GRAVIAM ad Moſam oppidum peti-

Pr. Mauricij & Comitis Guilhelmi expeditio in Brabantiã.

GRAVIA ad Moſam fl. à Mauricio et Guilhelmo obſidione cincta.

petivêre, & caſtris ibi locatis ad obſidendam eam ſeſe accinxerunt. Erat id oppidum naturâ loci tutius quàm pleraque alia, ſed ante annos XVI à Parmenſi occupatum magnis operibus multo munitius factum, & præſidio firmatum: tunc verò, quod obſidio ejus aut repentina invaſio metueretur, præſidium longè majus militum MD ad quamvis vim ſuſtinendam ei impoſitum. Verum tanta fuit induſtria, & indefeſſus labor noſtrorum cum ingenio atque arte conjunctus, ut caſtris perpetuis velut indagine continuâ oppidum ſit circumdatum, ipſa caſtra à tergo perpetuo firmoque vallo, & profundâ latâque foſſâ, tanquam magna urbs, contra inſultus & impreſsiones hoſtilis exercitus clauſa; tum duo pontes validi CCXXX gradibus, aut CXV paſsib· longi, alter ſupra, alter infra urbem Moſæ impoſiti. Atq; hæc pleraq; ante Mendozæ paulò poſt cum exercitu ſecuti aduentum fuêre confecta, principe Mauricio ad orientem oppidi, Comite Guilhelmo ad meridiem, Franciſco Verio Anglo viro for-

tiſsimo ad occaſum curantib. & operâ urgentib. Sole leonē permeante, & ęſtus graves ciente. Dein in conſpectu Mendozę, & totius exercitus ejus cætera, quæ expugnando oppido erant, patrata, tormentis magnis fulminatū, cuniculi acti, eruptiones ex oppido validę & frequentes fortiter repulſę, ipſius quoq; Mendozę incurſiones violentę animoſè repreſſę: deniq; obſeſsi in ſummas anguſtias redacti: poſtremò Mendozâ, deſperatâ re, caſtra movente, & longius abeunte oppidum validiſsimum deditione captum: pręſidiarij incolumes, quos ferrum aliiq; caſus non abſumpſerāt, abire, quò vellent, permiſsi. Exiêre numero mille die x Septemb. Iuliani, cum obſidio VIII Iulij cępiſſet. Victores reb. ibi conſtitutis, oppidanis in fidem principis Mauricii jure jurando adactis, cum triumpho celeberrimo in ſua reverſi. Atq; hoc initium majorum malorum hoſtibus fuit. Nam haud parva exercitus pars ob non ſoluta ſtipēdia murmurare rurſum ferocius, fremere, ſeceſsionem facere, violentius agere: ob quā cauſam cum proſcriberetur

Gravia fœderatis dedita.

Seditio militum Albertinorum.

ab

ab Alberto, aſperari vehemẽtius, & proxima queq; per Brabantiam diripere, ferro, flammâ ſævire, ordinib. fœderatis & principi Mauricio ſe oſtentare, operamque ſuam offerre. Interea ſub litus Flandriæ navale prælium ab Hiſpanis, qui Alberto miſsi auxilio erant, duce Friderico Spinulâ, contra Hollandos infeliciter & cum clade committi: LVDOVICVS Naſſovius Guilhelmi frater denuo cum copijs peditum equitumque miſſus à ſuis menſe Novembri Lucelbergios longè latéq; affligere, ad pendendam tributum cogere, captivos magno numero abducere; idque iterum facere menſe Martio ſequente: Spinula quoq; commiſſâ rurſum pugnâ navali cõtra Selandos cum claſſiariis DCCC occumbere. Simul Albertus, ut quoquo modo rebelles exercitus ſui, qui Hogoſtratam arcem cum oppido in Brabantiâ occupaverant, & munierant, reprimeret, novo milite conſcripto, copiiſque ſuis plurimum auctis, duce Friderico Bergenſi ferociam eorum domare, & pœnas de iis ſumere ſummoperè connitebatur. Sic illi

1603

Hogoſtrata à ſeditioſis inſeſſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Seditioſi fœderatis juncti.

in anguſtiam conjecti à MAVRICIO & fœderatis ordinibus opem petentes certis conditionibus cum his convenêre. Quibus ſibi junctis, repulſo jam Bergenſi, Mauricius, & patruelis GVILHELMVS, qui Monte Gertrudis iſtuc ſe intulerant, aſſumptis in idem commilitium fratrib. haud alio conſilio, quam ut metu amittendæ oportuniſſimæ & validiſsimæ urbis hoſtem exercitus firmiſſimi robore jam ferocem ab invadendis provinciis fœderatis, quod in animo ipſi eſſe certo certius conſtabat, averterent, & in hoſtili potius terrâ quam in ſuâ, quæ belli ſors eſt, omnia agi, ferri, affligi viderent, ad obſidendam rurſum SYLVAM DVCALEM Hogoſtratâ caſtra moverunt: hiſq; ibi communitis, urbique terroribus variis admotis, nequicquam cum ſuis aſsidente Bergenſi, qui eos ſecutus fuerat, & ipſo Alberto eôdem veniente, poſt tentata varia, cum Albertus tria millia militum adverſis civium animis in urbem immiſiſſet, ſub exitum Octobris Iuliani demum ſolutâ obſidione exercitum in hyberna

Sylva Ducalis rurſum obſidione tentata à fœderatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

berna dimiſêre. Sic, quod conſilij illorum fuerat, facto eſt præſtitum: Brabantia belli incommodis vexata, provinciæ fœderatæ ab injuriis hoſtilibus & belli malis immunes manſêre. Per hyemem conſilia inita invadendæ Flandriæ, & OSTENDÆ tandem, quæ jam in tertium annum obſidionem, & oppugnationes penè perpetuas fortiſsimè ſuſtinuerat, & hominum fide majores labores & pericula, atque omnia tum graſſantis peſtis, tum furentis Martis mala, ac ſæva diráque fulmina conſtantiſsimè toleraverat, è belli faucibus eripiendæ. Itaque apparatus maximi facti, novo milite exercitus auctus, & iiſdem ſupremis belli ducibus principe MAVRICIO, & Comite GVILHELMO, cum quibus utriuſque etiam fratres rurſum erant, Henricus Fridericus, Ludovicus Gunterus, Erneſtus Caſimirus, medio Aprili ex Selandiâ in Flandriæ oram tranſportatus: inſula Cadſanda, quam aliquot caſtellis & præſidiario milite Albertus tenebat, primo impetu in poteſtatem redacta: caſtellum aliud validum

Expeditio nova fœderatorũ in Flandriam ad liberandã obſidione diuturnâ Oſtendam.

1604.

Caſtella varia in orâ Flãdriæ capta à fœderatis.

validum Catharinæum, deinde & Philippæum depulſo Theodoro Trivultio Mediolanenſi occupatum: mox eodem victoriæ impetu Iſendicæum firmiore præſidio DC militum inſeſſum opinione celerius captum. Ardenborgum oppidum quoque, & Middelborgum advenientib. victorib. ceſſêre, præſidiumq́ue, cui Erneſtus Naſſovius præpoſitus, accepêre. Tum SLVSA, in quam potiſsimum duces oculos ſuos conjecerant, raptim petita, quam firmum ſitu & operib. oppidum, quamq́ue vexandæ Flandriæ fœderatis oportunum, Oſtendam non modò æquans, ſed multum etiam ſuperans? Cui propterea ALBERTVS jam antè benè validam præſidiariorum manum, præter remigum bello ex barbaris captorum ingentem numerum, qui laboribus periculoſis obeundis eſſe poſſent, impoſuerat: & tum, quò tutior locus eſſet, cum primum iſtuc ductum exercitum noſtrum audiſſet, priuſquam aditus omnes munitionibus præcludi à noſtris potuerant, ſupra mille quingentos armatos diverſis vicib. intempeſtâ

Sluſa Flandriæ obſidione clauſa.

noćte

nocte eôdem immiſit. Sed pervicax virtus omnia iſta victoriæ obſtacula ſuperavit. Nam commeatum in oppidum importaturi per noctis tenebras, & loca ſalebroſa ac invia felici pugnâ à principe MAVRICIO rejecti, commeatus interceptus, magnus captivorum hoſtium numerus in caſtra adductus. Simul ingenti & valido aggere, foſsâ, caſtellis circumquâq; non ſolum contra obſeſſos, ſed etiam contra eos, qui à tergo ad ferendum obſeſsis auxilium venturi erant, muniendis caſtris labor feſtinatus, opuſque incredibili celeritate abſolutum, flumen etiam navib. & firmi operis ponte clauſum; cum interim nihil non obſeſſis, qui famem metuebant, ut obſidentes hic illic loco depellerent, tentatum. Verum invaleſcente annonę defectu, cum in oppido excitatis per noctem ignibus, quo loco res eſſent, ſigna iidem edidiſſent, quæ conſpici è longinquo poterant, ex voluntate Alberti AMBROSIVS SPINVLA Genuenſis, qui tunc cum ampliſsimâ poteſtate belli pro arbitratu ſuo gerendi ex Hiſpaniâ advenerat, *Ambroſius SPINVLA Genuenſis ſummus belli Albertini & Hiſpanici dux.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

& premendis Oſtendanis inhærebat, rebus illic ad continuandam obſidionem conſtitutis, cum ingenti exercitu collectis undequaque copiis advolavit, ut neceſsitate preſsis Sluſanis ſuccurreret, obſidenteſque loco ſubmoveret. Is diligenter ſpeculatus omnia, & tormentorum majorum pilas cum pernicie multorum hominum in caſtra jaculatus, per tenebras noctis, ut terrorem augeret, in eam partem primum impetum vertit, quâ gubernator noſter Comes GVILHELMVS cum præfecto cohortium Britannicarum tendebat: ibique ad ipſas munitiones pugnam concivit validam, trahens ſecum quaſi tria millia audaciſsimorum militum. Sed fortitudine Comitis & Britanni, qui ipſi ſeſe periculis inferebant, & ſuos verbis & exemplis animabant, rejectus cum ſtrage ſuorum pedem retulit. Inde variis aliis fruſtrà tentatis aliò totis ſe virib. convertit. Ardenborgo quippe præterito velut Oſtborgum iturus, ex itinere Catharinæum caſtellum vicinum invaſit, & circumfuſum denſis copiis ſummâ vi oppugnavit,

Oppugnans caſtra fœderaterum à Com. Guilhelmo fortiter rejectus.

vit, nec ante deſtitit, quam præſidio cædib. ad paucitatem redacto, & laboribus continuis fracto expugnaſſet. Nec morâ ullâ interpoſitâ Philippæum quoq; priori vicinum pari violentiâ obrutum ad deditionem compulit. Tum, quo animum potiſsimùm intenderat, iſtis velut obſtaculis aut remoris ſubmotis, ne quid ſcilicet hoſtile à tergo relinqueret, Oſtborgum rectâ iit, ut illic amnem oppidulum id præterfluentem, & agrum, in quo exercitum habebat, ab Oſtborgico agro ſeparantem trajiceret, atque inde Cadſandam inſulam Sluſæ proximè imminentem, anguſto freto ab eâ diremptam, ejuſque portui longo latere prætextam, munitionib. & præſidiis Mauricianis nuper adeò, ut oſtendimus, occupatam, in quam ex agro Oſtborgico facillimus tranſitus erat, invaderet, ſuæque poteſtatis faceret. Verum providi duces id futurum rati obſtacula ei quàm potuerunt celerrimè objecêre. Princeps Mauricius loca munita & præſidia omnia in inſulâ & viciniâ ipſe obire, neceſſaria curare, milites animare, auxilia

Idem Spinula Cadſandam inſulam armis petit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

matura periclitaturis promittere. Comes GVILHELMVS, volente Mauricio, cum proximis & promptiſsimis ad oram, quâ tranſeundum Spinulæ erat, feſtinus contendebat, ut tranſitu eum prohiberet, & paucis, qui illic in ſtatione locati laborabant & periclitabantur, ſuppetias in tempore ferret, fortunamque certaminis ſuſtineret, donec majores copiæ ſubmittendæ adeſſe poſſent. Et jam profligatis aut fugam ſpectantib. ſtationariis Comes GVILHELMVS ſupervenit, & Spinulæ ſummâ vi perrumpere connitenti, ac ſuorum ſtragem pro nihilo ducenti, intrepidè ſe objecit, & fortia verba fortibus factis æquans, ac ferro rem agens, exemploq; in hoſtes præiens militib. animos addidit interea, dum legionis ſuæ cohortes plures eôdem accurrerent, & demum MAVRICIVS ipſe cum robore legionum aliquot, & tormentorum copiâ adeſſet. Tum SPINVLA de conatu deſperãs, pertinaciamq; abjiciens promptiſsimis quibuſq; ſuorum maximo numero amiſsis, certamen omiſit, & terga vertit, non ſine dolore & fre-

Ei ſe Com. Guilhelmus objicit.

Spinula rejectus pedem refert.

mitu

mitu. Inter cæſos aut tormentis eliſos in exercitu ejus multi proceres fuêre, in quibus Comes Feltriæus, Marchio Rentiæus, Alonzo Borgias. Prima laus repulſi hoſtis, & fortunæ expeditionis iſtius cum Mauricio principe, ſummo imperatore, tributa eſt Comiti GVILHELMO, omniumque ore tum celebrata. Res geſta die VII Auguſti Iuliani. Poſtridie SLVSENSES obſeſſi fame jam laborantes, cum rem geſtam cognoviſſent, deditionis conſilium cepêre: pactique cōditiones honeſtas Mauricio ſe permiſêre. Exiêre ex oppido præſidiarij cum duce Serrano plures quam ter mille armis bene inſtructi, ſervi MCCCC. Civibus ſua relicta, capta tormenta majoris generis ænea ferreaque ad LXX, triremes bello aptæ & armatę cum omni inſtrumento decem. Sic jactura Oſtendæ, quam jam pro derelictâ fœderati ordines habebant, egregiè compenſata. Reliquum tempus ejus anni augendis munitionibus tum urbis hujus, tū aliorum locorum, excitandis in circuitu viciniæ iſtius caſtellis contra hoſtium

SLVSA fœderatis dedita.

Eadem majorib. operib. munita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

incurſus, imprimis Iſendicæo amplioribꝰ aggeribus & foſsis latiorib. cingendo datum, totaque regio proxima penè ἀνάμβατος facta: urbs ipſa, cum portu propè dixerim, inexpugnabilis reddita. Sed uti ſemper, ita iſto quoque tempore lætis triſtis ſe ſors miſcuit. Nam fortiſsimus heros LVDOVICVS GVNTERVS Naſſovius Guilhelmi Comitis frater germanus ante annum maritus factus, multis rebus bello benè geſtis clarus, morbo contracto Sluſę ex hac vitâ deceſsit, & deſiderium ſui militibus, dolorem propinquis, fratribus, viduę maximum reliquit. Sic hunc quoque florem domus Naſſovię bellum pro libertate Belgicâ abſumpſit. Intereà OSTENDANI ſine intermiſsione ab oppugnantibus totum jam triennium preſsi, immortalemque laudem vel hoſte teſte promeriti, maturo conſilio, Marquetto fortiſsimo viro duce, autorib. ipſis ordinib. fœderatis, cum hoſte tranſegerũt, & non oppidũ ſed oppidi cadaver, & vaſta rudera, ac fortiſsimorum militum ſepulchrum, ęternumque virtutis ſuæ monumentum,

Ludovicus Naſſovius obiit Sluſæ.

OSTENDA tandem Albertinis dedita.

mentum,

mentum, cum aggerum mole ferreis globis inferta ei tradiderunt: ne tum quidem tradituri, niſi major metus ac vis ab Oceani fluctib. quam ab hoſtis armis coëgiſſet, & commoda impendiis multò minora ſuaſiſſent. Abripior heic, abripior admiratione, & in has erumpere voces cogor. O rem verè memorabilem, & nunquam moriturâ famâ meritò celebrandam, ſi modò fidem es inventura! Quis enim facilè credet, oppidum tantillum, vix proximis provinciis ante hos belli motus notum, tam potentis & irati hoſtis vim, & oppugnationes aſsiduas tam longo tempore ſuſtinere potuiſſe? fulmina tormentorum maximorum ſine numero, & penè ſine intermiſsione contempſiſſe? violentiſsimas & pertinaciſſimas pugnas & impreſsiones obſidentium, quos ira ac indignatio in rabiem penè efferaverat, non excepiſſe ſolùm intrepidè, ſed etiam fortiter & feliciter cum eorundem illorum maximâ ſæpè ſtrage repuliſſe? nec antè de deditione, aut potius honeſtiſsimâ compoſitione cum hoſte jam defatigato cogitaſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

cogitaſſe, quam ex ejuſce exercitu durante obſidione amplius quam LXXII capitum millia variis caſibus vario mortis genere in ſolo ſuburbano abſumpſiſſet, & non vicies ſepties millies, qui maximus theſaurus avari imperatoris Tiberij fuiſſe ſcribitur, ſed ſupra quadragies octies millies hoſti jam conſtitiſſet? Quis iſtis, inquam, fidem adhibebit, vel potius in fabulis non habebit, qui ea vel auditu percipiet, vel in annalibus noſtris leget? præſertim cum peſtem atrociſsimam, quę conſternare animos mortalium ſolet, ſæviiſſe aliquandiu in obſeſſos, & quotidianâ morientium ſtrage oppidum funeſtaſſe cognoſcet. Hæc tanta nimirum & tam generoſa obſeſſorum velut animoſorum leonum fortitudo & conſtantia non ſolum in terrorem, ſed etiam in admirationem ac ſtuporem ipſos quoque adverſarum partium proceres & principes dedit. Hæc, ut alios plurimos tam exteros, quam Belgas præteream, ALBERTVM & ISABELLAM Oſtendico nomini infenſiſsimam movit, ut loco purgato ad eum viſendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

velut ad contemplandum indomitorum leonum luſtrum, aut venerãda fortiſsimorum bellatorum veſtigia ſedemq; venirẽt, eoq; inſpecto ad vota, quæ inſitâ ſuperſtitione nuncuparant, virgini Mariæ Deiparę ſolvenda Duinkercam ſeſe conferrent. Sed nos exorbitantem ſtilum revocemus in viam, & hanc mentem fortunamque hoſtib. noſtris, ſi quos habituri ſumus, imprecemur, ut capiendæ OSTENDÆ ſtudio impotenti SLVSAM aliquam, & tot commoda alia ad bellũ gerendum amittant, & τὰ χρύσεα χαλκείων cum Glauco Homerico commutent: reliqua verò, quæ propria narrationis hujus ſunt, quàm breviſsimè perſequamur. Nono die poſt Sluſam à noſtris captam, viceſimo quarto ante Oſtendam hoſti permiſſam, haudquaquam bono noſtro de pace inter BRITANNOS & HISPANOS convênit, ad quã ſummo deſiderio, & omnib. votis odio noſtri Hiſpani ferebantur, properantius quàm æquum eſſe videbatur, Britanni feſtinabant. Id enim quantum ferociæ Hiſpanicis & virium in nos, tantum cu-

Pax inter Britannos et Hiſpanos cõfecta.

Hiſpanicis animi aucti.

rarum & juſtiſsimæ ſollicitudinis nobis adjecit. Tota quippe belli moles ex hoſte communi, qui non minus Gallis & Britannis, quorum illos ante octennium, hos jam illecebris infidæ pacis armis exuerat, quam Belgis ſuis malè volebat, in nos ſolos, ſociorum priorum ope deſtitutos, derivata eſſe videbatur. Et jam excidium noſtrum animis ſuis infenſiſſimi Hiſpani & Hiſpanici certiſſimâ deſtinatione conceperant, novâ velut irâ ſtimulati, quod interceſſionem petente Rodolfo Cæſare & illuſtriſsimis aliquot Germaniæ principibus & civitatibus, quos ipſi ſubornarant, obtentu componendæ pacis, & calamitoſiſsimi belli finiendi, jam ante quam ipſis cum Britanniæ rege convenisſet, in naſſam nos pertrahi paſsi non eſſemus. Sic enim maturè, ac diu re deliberatâ, Ordines noſtri fœderati interceſſoribus ſcripto reſponderant, pacis quidem & quietis ſe eſſe longè cupidiſſimos, prężſertim conſcias infirmarum virium ſuarum contra hoſtes potentiſsimos: nec quicquam magis in votis habere, quam

Iidem magis irritati repudiata à fœderatis actione de pace infida.

quam cum Belgis vicinis Brabantis, Flandris, Arteſiis, Hannoniis, Lucelburgiis & cæteris in veterem amicitiam & ſocietatem, poſitis utrimque armis, rurſum coire, ſed cum Hiſpanis, niſi ipſis ex Belgio amandatis, & præſidiis eorum abductis, & caſtellis exciſis, populoque priſtinæ libertati & conditioni reſtituto, pacem fidam & certam ſibi eſſe non poſſe: id ſe tot experimentis edoctos, toties blandis promiſsis deceptos, tam frequentibus exemplis monitos, tam multis & magnis malis ſuis correptos, atque in extrema pericula conjectos didiciſſe, & ſtatuere neceſſum habere. Aſperabat verò Hiſpanorum animos etiam illud, quod proſperos ſucceſſus Hollandorum & Selandorum in INDIAM navigantium, (rem paucos ante annos cœptam, cùm commerciis Hiſpanicis iidem illi prohiberentur,) & quæſtus uberrimos inde provenientes, ſibi maximo detrimento eſſe, opumq; ſuarum fontes inexhauſtos, quos ceu patrimonium ſuum æſtimabant, in Hollandiam & Selandiam derivari,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

experirentur: & jam cognoſcerent majore apparatu claſſes eos inſtruere, & rem maritimam ſupra priorem modum animis complecti. Quapropter Ambroſius Spinula, cum utrimque exercitus terreſtres in hyberna reducti eſſent, in Hiſpaniam profectus eſt, ut cum ipſo rege conſilia caperet fœderatorum, quos jam Britannus quoque reliquerat, dum animi eorum recenti pace illâ & amicitiâ inter reges junctâ adhuc propè cõſternati eſſent, priuſq; quàm maritimâ fortunâ detrimentum hoc compenſarent, in tempore obruendorũ. Qui pecuniariâ re ibi procuratâ, promiſsis ampliſsimis à rege oneratus, imprimis FRISIÆ præfecturâ perpetuâ, aut imperio beneficiario in anteceſſum donatus cum in Brabantiam rediſſet menſe Martio, percellendis fœderatorum animis fama longè lateque vulgata fuit, trinis validis caſtris, tribus magnis exercitib. eâ ęſtate rem actum iri, ſimul copiæ novæ in Hiſpaniâ, Italiâ, Galliâ, Britanniâ conſcriptæ, & aliæ poſt alias in Belgium miſſæ, in ipſo Belgio quoque

Amb. Spinula in Hiſpaniam ad regem præfectus.

Belli apud hoſtes apparatus.

quoque pedites equiteſque plures pecuniâ novâ conducti, & prioribus additi, omnia rumorib. conſultò in majus aucta: Spinula ſummus belli imperator, poſt hunc Velaſcus Hiſpanus, Fridericus Bergenſis, Buçojus, Trivultius, veterani duces jactati: utque expeditum iter hinc inde exercitib. eſſet, proximè Antvverpiam Scaldis fluvius ponte ſtratus, & Brabantia ac Flandria eodem junctæ. Verum propterea nec Ordinib. fœderatis, nec principi MAVRICIO, nec Comiti GVILHELMO, nec fratribus eorum, nec aliis belli ducibus animi conciderunt; quinimò ad excipiendam & ſuſtinendam iſtorum vim ac impetum animosè ab iis cuncta parata. Et quoniam, quâ parte plurimum poſſent, experiundo ordines didicerant, præter naves in INDIAM ituras in omnem eventum armis viriſq; benè inſtructas, claſſem etiam aliam HISPANIÆ litora ac maria infeſta habituram, & reduces ex Indiâ, Africâ, Americâ, orâ Mexicanâ, & inſulis Oceani occidentalis naves mercibus precioſis, & argento auroque

Fœderati animis non fracti.

Claſsis inſtructa ad infeſtanda litora et maria Hiſpanica.

onuſtas obſervaturam, ac portibus Hiſpanicis, quantum poſſet, prohibituram, aut in poteſtatem redacturam, denique portus ipſos, ne naves inde in Oceanū exirēt, & Indiam cæteraſque regiones longinquas peterent, clauſuram, emiſerunt.

Mauricius cum exercitu in Flandriam abit.

MAVRICIVS autem, cui ſumma belli terreſtris commiſſa erat, quod fama ferret, primum impetum Spinulam in SLVSANOS & caſtella oppidaque vicina eſſe verſurum, & hanc ob cauſam ponte Scaldum junxiſſe, ut iis animos adderet, & ferociam hoſtium retunderet, prior ipſe exercitum ſuum robore magis quam numero valentem, & ad belli facinora benè promptum in Flandriam trajecit, expectans, quid hoſtis eſſet auſurus. Quem cum SPINVLA extemplo ſecutus eſſet, & alter alteri oppoſitis ad Waterfletam caſtris immineret, & neuter alterum in locum iniquum pertrahere poſſet, uterque rebus ſuis proſpiceret, idem Spinula, ne tempus & impendia maxima perderet, imprimis verò FRISIAE invadendæ & occupandæ, quam ſpe jam devoraverat, occaſio-

Caſtra caſtris oppoſita in Flandriâ.

Spinula cum exercitu ad Rhenum contendit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

occaſionem perire ſibi pateretur, præmiſſo repentè Bucojo cum peditum equitumque manu validâ in oras Rheni, qui & viam ſterneret, & traducendo promptè exercitui integro pontem Rheno imponeret, ipſe eôdem quoque caſtris ſubitò motis præter plurimorum opinionem quam poterat maximis itineribus contendit, ac per pontem à Bucojo paulum infra Coloniam Trajanam, quam Cęſaris Werdam hodie indigitant, extructũ, Rhenum cum exercitu trajecit circiter Eidus Iulii, omniumque animos in eâ viciniâ timore conſternatos reperit. Nam Bucojus ſævi ingenii vir, ad quem ex itinere plures copiæ, & in his quinque millia Italorum nuper conſcriptorum convenerant, exemplo Mendozæ miſsis huc illuc cohortibus & equitum alis, & obviis paſsim direptis, atque afflictis terrorem longè lateque diffuderat. At SPINVLA in omnes partes animum verſans cum audiſſet Oldenſelam Tuentiæ & Lingam VVeſtfaliæ nec operibus, nec præſidio, nec rebus neceſſariis, uti par eſſet, & ut vim tormentorum

Idem Oldenſelam & Lingam petit, eaſq; leviter oppugnatas capit.

& exer-

& exercitus ſuſtinere diu poſſent, eſſe inſtructas, quod per eas occupatas aditum ſe ſibi aperire in FRISIAM ſuam (ſic enim ſentiebat) commodiſsimè poſſe arbitraretur, relicto ad Rhenum cum idoneis copiis Bucojo, Duiſburgum Cliviæ prætergreſſus per præcurſores complanatis viis, & fluminibus ſtratis, ne quid in morâ exercitui eſſet, per medios Monaſterienſes facto itinere OLDENSELAM primum invaſit, & petitam tormentorum fulminib. præſidio tenui perterrito facili negocio cepit. Dein celeriter LINGAM progreſſus, quæ & præſidium majus habebat, & operibus erat munitior, quanquam eſſet, quod etiam illic pro loci conditione deſideraretur, admoto exercitu, & tormentis diſpoſitis diſploſiſque, ac oſtentatâ oppugnatione non aliâ magis ratione, quàm inertiâ aut inſcitiâ & conſternatione pavidi præſidii, ut ipſe faſſus fuit Spinula, opinione ſuâ, & ſpe citius eam quoque deditam occupavit: qui ſi illic Marquettũ, aut Marquetti ſimilem præfectũ & centuriones militeſq;, quales

Oſtendam

Oſtendam defenderant, reperiſſet, ne ille aut perdere illic tempus rei gerendę commodum, & impendia magna ac longa nequicquàm facere, aut non ſatis honeſtè, nec forſan ſatis tutò pedem iſtinc referre præmaturè, & Rhenum repetere alióve cum periculo ire neceſſum habuiſſet: certè res illa audacius quam prudentius cœpta fuit. Quid autem intereà princeps MAVRICIVS? quid Comes GVILHELMVS, qui cum robore militiæ ſuæ ad eum, ſummum belli imperatorem, venerat? an deſes otium in Flandriâ egerunt? Illi verò minimè: ſed cum cognoviſſent hoſtes Rhenum petiviſſe, ERNESTVM & HENRICVM fratres ſuos magnis quoque itineribus Rheno-Bercam contendere & quæ illic lociſque vicinis curanda erant, maturè curare juſſerunt. Dein cum ulteriora etiam Spinulam moliri, & exercitum ejus indies augeri intellexiſſent, munitionibus in Flandriâ jam abſolutis, relictâ illic in præſidiis contra Bergenſem & Velaſcum in omnia momenta intentos, magnâ exercitus ſui parte ſub

Conſilia & acta Mauricii & Guilhelmi.

præfecto Vander-Noto, ipſi cum reliquis copiis quàm potuerunt rectiſsimè & citiſſimè Daventriam ſunt profecti. Illic caſtris ad urbem poſitis, & plurib. undequaque excitis armatis, & juſto exercitu, quem hoſtib. opponere poſſent, confecto, cum Lingam rectâ contendere, & Spinulam obſidione depellere ſtatuiſſent, & jam caſtris movendis ſignum dediſſent, per celerem nuncium oppidum deditum eſſe cognoverunt. Quid dicam, eâ famâ vulgatâ, cui vix fidem præbere Mauricius poterat, quantum animos penè omnium perculerit? quantum trepidationis dederit? præſertim iis locis, quæ violentiæ victorum proxima, aut maximè obnoxia eſſe videbantur: haud ſecus ac ſi ANNIBAL aliquis à CANNIS veniens ad portas approperaret. Pudet memorare, vidiſſe nos, qui leonum fortitudinem vultu & verbis præferre ſolent, eos damarum & leporum ingenium tum prodere. Fama tum ferebat ſupra XV millium armatorum exercitum SPINVLAM habere, & ad eum, ut ſolet fieri in ſecundis rebus, plures indies

Vana multorum trepidatio.

indies confluere, noſtros quanquam viros fortes & rerum militiæ peritos ſub fortiſſimo & belli peritiſsimo imperatore, & ducibus ac præfectis tali imperatore & milite dignos, tamen numero plurimum ſuperari, ac vix ad ſemiſſem accedere, & qui tanto exercitui reſiſtant, pares non eſſe: ad hæc magnas eſſe hoſtium copias in Brabantiâ & Flandriâ, eaſque cum tempore creſcere, & nunc velut ſeminarium oportunum habere ex vicinâ Britanniâ, quę Hiſpanicis adverſa, nobis ſocia eſſe ſoleret: Spinulam vires ſuas verſurum in FRISIAM, & aditib. apertis GRONINGAM aut EMDAM invaſurum: heic uſui ei futuros Comitis Ennonis fratres Hiſpanicis militantes ac addictos, & diſcordiam populi iſtius regionis inter ſeſe, & à Comite ſuo diſsidentis; illic nec pręſidii ſatis ad urbem tantam tuendam, & animos civium dejectos & turbatos ob ea, quę ante quinquennium ibi evenerant, nec in mœnib. omnia rectè habere: Groningâ occupatâ nihil fore, quod victoris curſum per Friſiam reliquam ſit moraturum. Ad

hæc ſermones procerum & vulgi varii, & varia judicia, aliis aliud aut culpantibus aut defendentib. Sed qui in urbibus & provinciis fœderatis fortioribus animis erant, quanquam ſolliciti eſſent, tamen his non turbabantur. Princeps verò

Ducum & militum noſtrorum animi imperterriti.

MAVRICIVS & Comes GVILHELMVS & cæteri militum ductores in hoc diſcrimine ſe non deſerebant, nec de fortibus conſiliis, aut animorum præſentiâ vel hilum remittebant, magiſq; robori & alacritati exercitus ſui, quem videbant ad ſubeunda diſcrimina intrepidũ ac promptum eſſe, quam SPINVLA numero militum, fidebant. Itaque pro prudentiâ ſuâ reb. inter ſe comparatis, curatiſq; quæ ad tuendam Coverdiam Drentiꝗ portam, & defendendum caſtellum Burtangæum pertinebant, Comes GVILHELMVS cum

Com. Guilhelmus Groningam miſſus.

peditum vexillis XVIII, equitum VI, GRONINGAM profectus omnium animos illic confirmavit, ac diurnis nocturniſq; excubiis, totiq; adeò præſidio urba-

Mauricius aliis locis proſpicit: ipſe ad Iſalam fl. manet.

no ordinem dedit: MAVRICIVS majore militum manu Grollam, quę periculo ex-

posita

poſita videbatur, & aliâ item Brevoerdiam miſſâ, totâq; legione in viciniâ Duiſburgi Clivici vallo illic excitando, & loco conſervando collocatâ cum potiore exercitus parte ab Iſalâ fl. non receſsit operiens Spinulæ conſilia ac motus: donec exoratus ab iis, quorum maximè interrerat, cum his, quas ſecum habebat, copiis Coverdiam conceſsit, ibiq; caſtris poſitis poſtridiè excepit patruelem Com. GVILHELMVM Groningâ iſtuc reverſum, trahentem ſecum non paucas peditum equitumq; catervas, ut jam copiis utriuſque junctis in exercitu eorum numerarentur pedites ad novies mille, equites quaſi ter mille. His reb. factum, ut Spinula, qui hactenus muniendo loco Lingę manſerat, quàm oportunam deſiderio ſuo ad invadendam FRISIAM eſſe rebatur, eo tempore tanto cum exercitu, tantoque inſtructus apparatu, (curruum enim & portatilium navium ad ſternenda flumina ingentem ſecum numerum iſtuc adduxerat) eo tempore progredi, aut quicquam in Friſiam movere auſus non fuerit. Virtutem quippe

Mauricius Coverdiam venit, eodem recurrit Com. Guilhelmus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

MAVRICII, prudentemq́; ęquè ac fortem GVILHELMI animum, & vim militum noſtrorum, horum ductu ac auſpiciis arma tractantium formidabat. Itaq́; munitionib. perfectis conſtituto illic numeroſo pręſidio, & Oldenſelę quoq; aliquot cohortib. relictis, ſenſim Rhenum verſus exercitum reduxit. Et noſtri eo cognito, novis munitionib. Coverdiæ jam deſignatis & inchoatis, oppidum totum cum arce complexuris, motis caſtris eòdem contenderunt, ita veſtigia ejus obſervantes, ut à latere ejus haud procul recederent. In orâ verò Rheni caſtra caſtris vicina diu cum utrique haberent, aliquoties velitationib. & pugnis minorib. variante fortunâ ſæpius tamen noſtris ſecundâ certatum: ſemel autem ad Roram flumen acrius dimicatum ductore ipſo MAVRICIO, in quo conflictu magiſter equitum Spinulę Theodorus Trivultius Mediolanenſis, dignitate Comes, virtute militari inſignis cum plurib. aliis è procerum numero occubuit: non pauci etiam capti: reliqui in fugam acti. Nec noſtris victoria

Spinula munita Lingâ ad Rhenum revertitur.

Coverdia majorib. operib. munita.

Caſtra caſtris ad Rhenum oppoſita.

Cõflictus ad Roram fl.

Theodorus Trivultius cæſus.

incruen-

incruenta fuit. Pro MAVRICIO pugnarunt & virtutem ſuam probarunt, frater HENRICVS, ERNESTVS Naſſovius, Marcellus Baxius. Tentata tum etiam Geldria civitas modica à noſtris, ſed conatu irrito: at Wachtendoncum in eadem viciniâ à Bucojo per inſidias interceptum, & Cracovia arx ab eodem occupata. Demum menſe Novembri caſtris utrimque ſolutis miles in hyberna miſſus. Princeps MAVRICIVS Hagam, noſter GVBERNATOR Groningam rediit die IX Calend. Decẽb. Vterq; incredibili ſuorũ gaudio & congratulatione, velut depulſores ſummi periculi, excepti. Inter quæ in Brabantiâ BERGA ad Somam fl. fœderatorum imperio parens inſidiis Albertinorum appetita bis ex ore exitii, menſe Auguſto & Septembri erepta fuit; parumque abfuit vergente Decembri, quin ſcelus immaniſsimum in ſcholis Loiolitarum conceptum, in caput regis & totius familiæ regiæ, omniumque regni procerum fabricatum, in Angliâ in regni metropoli, in ejuſdem ſummâ curiâ, exitum nefandum

Geldria urbs à noſtris tẽtata.

VVachtendoncũ amiſſum,

Berga ad Somam fl. inſidiis Albertinorum appetita.

Scelus in regem Britanniæ totamq; familiam regiam, ac regni proceres paratum Londini.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

neſandum, qualem autores ejus optabant, ſortiretur, omneſque eos, quos dixi una hora, imò unum horæ momentum tolleret è medio. Verum SPINVLA hac etiam hyeme ad regem in Hiſpaniam reverſus, novis conſiliis cum eo captis, & pecuniæ rationib. denuo conſtitutis, cum ad Albertum revertiſſet, quod fuit menſe Aprili adulto, poſt prima belli præludia, & factos maximos apparatus, ac incredibilem pecuniæ vim in eos effuſam, qui ad vias ſternendas & aditus in FRISIAM aperiendos, ad bellum illic ſummis virib. gerendum pertinere videbantur, tandem in caſtra ad Bucojum Rheno vicina, quâ Rora fl. in Rhenum exit, venit circiter XI Kal. Iulii. Erant vero in caſtris iis, & in locis Rheno propinquis copiæ armatorum veteres & novæ tam numeroſę, ut nunquã toto hoc bello Belgico Hiſpanicis putentur fuiſſe numeroſiores: tum impedimenta apparatuum & inſtrumentorum tanta & tam varia, ac ſimul jumentorum vehiculorumque tam magna multitudo, ut fidem penè res ſuperet, Cum ibi

Spinula denuo in Hiſpaniam ad regem profectus.

1606

Spinula rurſum cum exercitu ad Rhenum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſe rerum ſummā cum ſuis conſtituiſſet, Bucojo ad gerendas res in Geldriam miſſo, ipſe, qui ſpe in poſſeſsione FRISIÆ ſeſe jam collocaverat, Rheno ad occidentem relicto, per eoſdem Monaſterienſes, & eâdē ferè viâ, quâ anno priore, cum omnib. impedimentis in Tuentiam rediit, & ad Goram oppidulum conſedit: Verum cum cœlum pluvium vias in FRISIAM invias ei faceret, (paluſtres enim ſunt, vix ſingulis expeditis perviæ, ſi imbrib. madueriint) abjectâ priore ſpe, dolens ob tot impendia penè perdita aliò conſilia vertit.

Ipſis Calēd. Iulii.

Inde in Tuētiam profectus.

poſtrid. Non. Iulii.

Steterat tum Ordinib. noſtris fœderatis ad declinandam ſumptuum immanium magnitudinem infœlix, uti evētus docuit, ſententia, ut non ad feriendum aut invadendum hoſtem, ſed ad vim ejus ſolummodò depellendam hoc anno bellum gereretur. Itaq; tardius omnia parata, miles, qui aliunde expectabatur, non ſatis maturè & minore quam par erat numero adductus. MAVRICIVS ex lege Ordinum ſentētiam ſecutus, in Spinulā & Bucojum pariter curas intentas habens, præſidia cuſto-

Conſilia & apparatus fœderatorū.

diaſque ad Iſalam, Rhenum, Moſam, aliaque flumina diſpoſuerat, ut ab invadendis interioribus & nobiliorib. regionib. provinciarum noſtrarum utrumque ſummoveret. Quod feliciter ſanè Betaviæ Geldricæ contra Bucojum, & Tranſiſalanis ac confinib. contra Spinulam ceſsit. Verum Geldris Zutphanienſib. qui extra hos terminos ſunt, idem ceſsit infelicius.

Nam SPINVLA dum Goræ aſſidet occaſiones obſervans, & ſimulans contra Daventrienſes ſe caſtra moturum, cum per indicem accepiſſet, principem MAVRICIVM Zutphaniâ Daventriam moventem, & copias, quas illic habebat, ſecũ trahentem, Locchemo oppido ad Berkelam fl. in agro Zutphanienſi, & Zutphaniæ ipſi proximo, tres militum centurias Zutphaniam traduci juſſiſſe, invitatus loci propinquitate, & præſidii illic relicti tenuitate, ſine ullâ morâ Locchemum petit, & nullo penè negocio ſuæ poteſtatis facit, novoque opere munit. Poſt ſeptimum deinde diem ipſe Bronchorſtum & Dotecomium ducens, ſub ductoribus

Spinula Locchemum occupat.

13 Iulii Iuliani.

aliis

aliis non parvam exercitus partem (abundabat enim copiis) per Tuentiam in Tranſiſalanos mittit ad Suollenſes, aut Campenſes, nihil minus quam hoc expectantes, invadendos. Verum cum Wermeloi vigilantia, qui his in locis præerat, & Vidri fluminis tranſitu advenientes prohibebat, hac eum ſpe dejeciſſet, exercitum reliquum Grollæ oppido, operib. & præſidio benè munito raptim admovit, ſtatimque tantâ vehemētiâ obſeſſos oppugnare cœpit, ut vel per maximas ſuorum ſtrages ad expugnationem eorum properare videretur. Intellexerat enim ex interceptis literis, principem MAVRICIVM ad opem iis intra certum tempus ferendam ſe accingere. Et ſic res ipſa habebat. MAVRICIVS namque, quod ad publicam fortunam id pertinere arbitraretur, undequaq;, quæ hic illic in præſidiis collocatę erant, copiis quam celerrimè excitis, imprimis verò patruele ſuo Comite GVILHELMO, gubernatore noſtro, qui in Friſiâ curabat, & munitiones novas Coverdianas urgebat, cum robore legionū

Cōtra Suollenſes aut Campenſes copias mittit.

Grollam invadit.

24 Iulii Iuliani.

Friſicarum evocato, totus in quàm maximo exercitu conficiendo erat, ut ante Nonas Auguſti laborantibus Grollanis ſuccurreret. Sed fulminando, opera omnia urgendo, territando, atrociſsima quæque omnib. obſeſſis denunciando, ni ſtatim ſe dederent, SPINVLA effecit, ut biduo ante dictum tempus, pręproperè nullâ adhuc cogente neceſſitatę, à perculſis oppidum ſibi dederetur. Quod quemadmodum indignum, & haudquaquam legibus militię conforme exiſtimabatur, & imprimis Mauricium principem irâ & dolore maximo turbabat, damnantem etiam ſeſe, quod hujuſmodi legatum virum juvenem pręſidio numeroſo pręfeciſſet, & poſt eum gubernatorem quoq; noſtrum offendebat vehementiſsimè, ita terrorem non proximis ſolum, ſed multis etiam longè remotis incutiebat. Nam eo oppido totius ejus regionis viciniæ munitiſsimo, cui tuendo firmiſsimum militum præſidium fuerat impoſitũ, tam citò ac facilè amiſſo, non ſolum de cæteris omnib. quæ trans Iſalam iſtic fœderatis reliqua erant, actum

Grolla Spinulæ dedita.

4 Aug. Iuliani.

eſſe, ſed Zutfaniam quoque regionis metropolim,& Daventriam,Suollam, Campos in ſummo periculo futuras rebantur. Sed alius ducib. noſtris animus, qui jam cum exercitu ſuo Doeſburgum ad tentandam prælii fortunam,ſi res ferret,acceſſerant,poſtridiè quam Grolla hoſti ſe dediſſet: nec omninò longè ab ipſo Spinulâ ſe movente initiò diſcedebant. Verum cum non parva exercitus pars ad agitanda pręſidia & cuſtodiendos aditus remiſſa eſſet, ut aperto loco prælium cum tanto hoſtis exercitu committere non ſatis tutum videretur, non potuêre pręſtare,ut aut lateri, aut veſtigiis ejus diu inhærerent. Interea omiſſâ reliquorum curâ Spinvla ex interiore Geldriâ revocato Bucojo, qui fruſtrà Neomago in alterâ Rheni orâ aſſederat, eum juſſerat Rheno-Bercam ducere, & obſidendi cauſâ, caſtra illic ponere: ipſeq; eôdem cum ſuis quoq; cõtendebat. Quo cognito Mavricivs,ne loco opportuno deeſſet, fratrem ſuum Henricvm magnis itineribus cum aliquot cohortib. expeditis, quas, quo tutius irent, alæ

Rheno Berca obſidione preſſa ab Hiſpanicis Albertinis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

equitum XXVII comitabantur, iſtuc etiam præmiſit: eæque ſine pugnâ oppidum per tenebras noctis cum fortiſsimâ Gallorum ſpontaneorum manu ingreſſę præſidiarios reliquos alacriores reddiderunt: HENRICVS verò cum equitibus ad fratrem rediit. Non multò poſt venit illuc cum univerſo exercitu SPINVLA, circumvallatoque oppido ſummâ vi obſeſſos urſit: & ſimul MAVRICIVS, quocum erat GVILHELMVS patruelis, velut alter ipſe, & Marchio ANSBACHIVS è domo Brandeburgicâ equitib. aliquot ſtipatus, ad Rhenum acceſsit, & non procul Veſaliâ caſtra muniit: nec quicquam ab eo omiſſum, quod ad hoſtes ab obſidione depellendos à forti æquè & prudenti imperatore requiri poſſet. Erat verò res perplexi & difficilis conſilii. Hoſtes vallis & foſsis circum oppidum ita ſe jam munierant, ut ſine ſummo periculo, imò ſine certiſsimâ clade oppugnari non poſſe viderentur. Impediendis autem commeatib. aut aliis rationib. ad prælium eos provocare, & apertis campis in prælium

P. Mauricius & Com. Guilhelmus ad Rhenum prope Veſaliam, cum Marchione Anſbachio.

Rheno-Bercæ juvandæ difficultas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

deſcendere, id eſſe in prudentiæ leges enormiter peccare duces noſtri arbitrabantur. Numero enim hoſtes iſto tempore longè erant ſuperiores, duob. tum exercitib. Spinulæ & Bucoij conjunctis, & iidem ex fortunâ priore magnos animos gerebant. Noſtri autem etſi multitudine eorum non valdè terrerentur, nec animis inferiores, plerique etiam arte ac diſciplinâ militari, multoque uſu potiores eſſent, præliumque, ſi ducibus placeret, non detrectarent, tamen uno ancipiti & periculoſo certamine rerum ſummam in diſcrimen eſſe mittendam MAVRICIVS & GVILHELMVS, & qui cum iis erant, intelligebant. Paria quippe non eſſe, de quibus hoſtes, & de quibus ipſi decertaturi eſſent: illos enim victos prꝫter cladē exercitus jacturam aliam haud magnam facturos: noſtro autem exercitu cæſo, trepidaturas omnes provincias fœderatas, & in ſummo periculo futuras: non videri tanti eſſe Rheno-Bercam, ut ob eam omnis ferè fœderatorum fortuna præſenti diſcrimini ſit exponenda: exercitu inco-

lumi

lumi conſervato, etiam oppido illo amiſſo, nobiliſsimas provincias Oceano, fluminib. paludibus, caſtellis clauſas conſervari, & ſalutem reip. ſartam tectam teneri poſſe. Quæ cum ſententia valuiſſet, omnib. reliquis, quæ ad ſublevandos ac liberandos obſeſſos facere poſſe credebantur, fruſtrà tentatis, munitiones inſulę primum, quæ oppido objacet, perempto fortiſsimo ejus præfecto, dein ipſum oppidum in poteſtatem hoſtium devênit.

22 Septemb. Iuliani. *Rheno-Berca Spinulæ dedita.*

Poſt quem caſum adverſum Locchemum eſt à MAVRICIO receptum:

Locchemum à Mauricio receptum.

Grolla verò obſeſſa quidem, & foſsionib. appetita, ſed ob alienum anni tempus, (hyems enim ingruebat) & imbres effuſos, morboſque in exercitu graſſantes, ac Spinulam cum legionum robore adventantem recipi non potuit.

Grolla fruſtrà obſeſſa.

Tum diſpoſitis præſidiis, copiæ utrimque in hyberna rurſum ductæ: quædam etiam à noſtris dimiſſæ.

Itum à noſtris in hyberna.

MAVRICIVS Hagam profectus, GVBERNATOR noſter cũ Marchione ANSBACHIO Groningam rediit VII Eid. Novemb. totâ lætante civitate, & fauſtis applauſib. eum excipiente.

cipiente. Nec diu pòſt patrem annis gravem, qui ipſum tot annos gloriâ & honore florentem viderat, Dillenburgi in patriâ vitâ longævâ defunctum pro pietate ſuâ non amiſiſſe ſe, ſed in æterna gaudia præmiſiſſe, in quę ipſe nunc eum ſecutus eſt, arbitrabatur. Mox verò frater ejus ERNESTVS Naſſovius Mareſcallus generalis militiæ deſignatus ob egregiam virtutem illuſtres ſibi nuptias acquiſivit cum illuſtriſsimâ virgine HENRICI IVLII principis Brunſvicenſis filiâ: quæ ut ipſi honori fuere, ita gaudium toti quoque familiæ dederunt. Et jam ab hoc tempore velut tacito conſenſu bellum terreſtre propè conquievit. Hoſtes enim licet ſuperiores annis prioribus ad Rhenum & trans Rhenum fuiſſe viderentur, tamen pecuniâ, belli nervo, exhauſti, quam ſine modo ad oſtentandas opes & potentiam ſuam nuper adeò effuderant, ut formidinem fœderatis incuterent, & novis militũ ſeditionibus ob non ſoluta in tempore ſtipendia domi agitati, nihil hoc anno, qui fuit MDCVII, velut feſsi & fracti

Pater Com. Guilhelmi IOANNES ex hac vitâ decedit.

Erneſti Naſſovii militiæ Belgicæ Mareſcalli nuptiæ.

1607

Armorum quies in Belgio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

moverunt. Mari autem diverſis locis gravibus cladib. anno priore affecti, & graviores etiam tunc metuentes quiete ſibi opus eſſe ad vires inſtaurandas ſentiebant, ut eos, qui terrore percellere ac debellare fœderatos voluerant, jam quaſi pavore ſtratos videre liceret. Vt enim quæſtus INDICI fontes ſibi penè areſcere, multò certè tenuiores fieri ob navigationes noſtrorum & Anglorum, quos exemplo ſuo noſtri excitarant, aliquot per annos experiundo compererunt, ita claſſe nuper armatâ à fœderatis HISPANIAM penè obſideri, & litora ejus, aut maria litorib. imminentia infeſta haberi, ac ab eâ theſauros ex INDIA venientes aut intercipi, aut in ſummum diſcrimen conjici fremebant quidem, ſed prohibere non poterant. Quapropter quod parum ſincerè ad fallendum aliquoties ſubornatis principibus aliis, & anno ſuperiore per homines ſuos Hagam miſſos tentarant, id tum magis feriò, quia opus ſibi eſſe induciis qualibuſcunque ſentiebant, cœperunt agere. Vſi verò ad eam rem ſunt homine

Bellum maritimum.

Pax aut induciæ ſeriò quæſitæ ab Hiſpanicis.

cucullato

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

cucullato Ioanne NEIIO Belgâ, ordinis Franciſcanorum ſupremo ephoro, quem Generalem vocant, ingenii maximè verſatilis: qui Hagam cum mandato & fidei literis ab ALBERTO, ejuſque conjuge ISABELLA veniens inducias primùm octimeſtres à fœderatis impetravit menſe Martio, per quas de iis, quæ vel ad pacem perpetuam, vel ad inducias longi temporis pertinerent, poſſet agi. Verum inter conditiones induciarum octimeſtrium pacti fuêre fœderati, *ut ſecum tanquam cum populis verè liberis, in quos nec Albertus, ejuſve conjux, nec Hiſpaniæ rex quicquam juris haberent, inſtitueretur actio, utque idem rex procurante Alberto pactum hoc, & quæcunque deinceps inter partes eſſent conventura, rata ſe habere, ac habiturum, manu ſignoque ſuo intra trimeſtre teſtaretur, idque teſtimonium ritè ſignatum fœderatis ſtatim exhiberetur, traderetur que.* Res dura Hiſpano, & cui aſſenſurum eum vix quiſquam credebat. Sed accidit intereà, dum agerétur iſta, ut à fœderatorum claſſe inſtructiſsimâ recens curſum ad obſidenda ac infeſtanda Hiſpaniæ

Induciarum petendarum internuncius ab Alberto Hagam venit.

Induciarum octimeſtrium conceſſarum conditio præcipua.

Hiſpanica claſsis in freto Herculis à claſſe fœderatorum victa & deleta duce Heemſkerchio.

ſpaniæ litora, duce Iacobo Heemſkerchio Amſterodamenſi, rerum maritimarum longè peritiſsimo, emiſſâ Hiſpanica claſsis in præſidium litorum ac marium maximis ſumptib. regis inſtituta ac armata, cui Ioannes Alvareſius Avila præfectus erat datus, difficillimo & cruento prælio in freto Herculis, in conſpectu, imò ſub ipſis mœnibus veteris Carteïæ ſuperata deleretur. Quâ clade conſternatus REX, trepidante omni Hiſpaniâ, cum metus etiam à ſocietate negociatorũ novâ, quæ ad commercia AMERICANA & MEXICANA in Hollandiâ & Selandiâ parari ferebatur, animos percelleret, faciliorem ſe probandis poſtulatis dedit. Tum claſſe victrice, quod à victis petebatur, ab Hiſpaniæ litorib. revocatâ novus aliunde ſtimulus iiſdẽ Hiſpanis extitit ad cœptum ſeriò maturandum. Augendis enim negociationibus Indicis nova claſsis magnarum navium XIII novâ mercatorum ſocietate in Orientem, quod per inducias licebat, eodem iſto tempore Amſterodami & in aliis fœderatorum urbibus

Nova claſsis fœderatorum in Indiam Oriẽt. mittenda.

bibus deſtinabatur. Convênit igitur utrimque, ut actionis futuræ locus HAGA Hollandiæ eſſet. Venêre iſtuc ab Hiſpanicis ipſe Ambroſius SPINVLA, Ioannes Richardottus ſenatus Albertini præſes, annis jam gravis, Ioannes Neijus monachus, rei totius præſultor, Ioannes Mancicidorus ſcriba à ſecretis, Ludovicus Verreickius audientiarius vulgo dictus. A fœderatis editi ſeptem prudentiſsimi quique, ex ſingulis provinciis ſinguli: Cornelius Gentius Gelder, Ioannes Berneveldius Hollandus, Iacobus Maldereus Selandus, Nicolaus Bercbus Vltraiectinus, Gellius Hillema Friſius, Ioannes Slotus Tranſiſalanus, Abel Coenderius Groninganus: & his, ut dignitatis & autoritatis plus eſſet in actione, à collegio generaliũ ordinum additi ſunt duo, illuſtriſsimus Comes GVILHELMVS LVDOVICVS gubernator hic noſter, cujus nunc mortem lugemus, & ex vetuſto ac generoſo ſtemmate Comitũ Hollandiæ ortus WALRAVIVS BREDERODIVS Vianæ dominus. Quorum hic

Hagæ actio de pace inchoata.

1608

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Hollandiæ nomine in eodem generalium Ordinum collegio plerumque ſedebat non ob generis tantùm ſplendorem, ſed etiam ob ſingularem prudentiam, & maximum rerum uſum. Alter Hagam maturè vocatus, ut cum Mauricio principe conſilio ſuo in hoc tam arduo negocio remp. juvaret. Erat enim βουλὴν ἀγαθὸς non minus quàm κρατερὸς αἰχμητής, ut nihil ferè rei magnæ, quæ ad totam remp. pertineret, ſine eo à fœderatis ſtatueretur. Initio igitur ducto ab eo, quod caput actionis eſſe voluerant fœderati, nimirum à repetitâ pactione, quâ libertati ipſorum abundè cavebatur, in quam REX & ALBERTVS cum conjuge purè ac ſimpliciter per ſignatas tabulas conſenſerant, cum ventum ad rem ipſam eſſet, deprehenſum cum tempore, quid Hiſpanos potiſſimum angeret, & quàm parùm ſincera eſſent eorum conſilia. Quamobrem cum ſatis diu toleraſſent eos fœderati ſtudio legatorum exterorum intercedentium, & de pace primum perpetuâ, deinde de induciis valdè longâ verborum concertatione

Conditio totius actionis à fœderatis repetita, & denuò ab Hiſpanicis confirmata.

Actio longa & à parte Hiſpanicorum parum ſincera.

certatione

certatione cum iis eſſent conflictati, (per IX enim menſes durarat actio) tandem impatientiâ victi faceſcere abutentes facilitate & patientiâ ſuâ, atque è provinciis fœderatis ad Calendas Octob. qui terminus poſtremus iis dictus erat, diſcedere juſſerunt. Quod SPINVLAM & collegas ejus, quia inopinatum, turbavit vehementiſsimè. Itaque abitum parantes, diſſimulato graviſsimo dolore, adierunt collegium generalium Ordinum, & cum ſalutatione supremâ per Richardottum prolixâ oratione de ſtudio optimâque voluntate ſuâ & principum ſuorum operoſius quàm ſat erat, & quàm veritas ferebat, teſtati fuerunt: pranſique apud principem MAVRICIVM eodem illo die itineri ſe dederunt. Domum verò reverſi Brabantos, Flandros, Hannonios, Arteſios & cęteros Alberto parentes ſpe pacis ac induciarũ fraudatos ingenti dolore & acerbo queſtu replevêre: cum intereà GALLIÆ atque ANGLIÆ regum legati (reliqui enim jam diſceſſerant) id quod rogati ab Hiſpanicis erant, omnem moverunt lapidem,

Hiſpanici Hagâ diſcedere juſſi.

Inter hæc ante diem 9 Eid. Novemb. Adolfus Com. Naſſ. juvenis annorum 22 Ioanne N. ſſ. fratre gubernatoris noſtri Guilhelmi Lud. natus, equitum ductor cum forte ex regione Lucelborg. in Geldriam cum ſuis iter haberet, tumultuario prælio nocturno in Clivia non procul Rhenobercâ à præſidiariis hujus oppidi oppreſſus fortiſsimè pugnãs occubuit. Victores ab equitibus ejus vindictæ ſtudio incenſis cum ſe recipere͂t circumfuſi & occidione occiſi pœnas perempto dederunt.

Actio de induciis annorum XII ſtudio legatorum regiorũ Antverpiæ inſtaurata.

lapidem, ut ad inſtaurandam de induciis actionem fœderatos inducerent. In quã rem conſenſu vix tandem impetrato ſub medium Februarii anni ſequentis ANTVERPIAM profecti, congreſſiq; cum delectis Albertinis, re præparatâ, fœderatorum deputatos eoſdem eôdem quoque pertraxerunt. Ibique colloquio reſumpto, cum Hiſpanicos neceſsitas quædam urgeret, tandem de induciis in annos XII ſatis ex fœderatorum ſententiâ convênit.

1609

Induciæ factæ.

Conventio non ab ALBERTO ſolum, ſed ab ipſo Hiſpaniæ REGE ſolemni modo probata, Antverpiæ prid. Nonarum Aprilis Iuliani ex curiâ publicata. Sic atrociſſimum bellum, per annos totos XL. geſtum, finem accepit, aut in annos XII ſuſpenſum fuit. Res confecta variis hominum ſermonibus ac judiciis jactata, cum alii ſibi ac reip. gratularentur, alii & in his ipſe princeps Mauricius, inducias has moram univerſæ victoriæ de Hiſpanis bello jam fractis interpretarentur.

Hiſpanorum præcipua cura & ſollicitudo.

Ex ipſâ quidem actione, ut ante dixi, ſatis patuit, quid potiſsimum premeret ac

ureret

ureret Hiſpanos: quippè qui nullâ de re pugnarent vehementius, in nullâ hęrerent diutius, aut inſiſterent pertinacius, quàm ut uſu maris Atlantici, Indiciique fœderatos excluderent. Nec defuêre eo tempore viri graves, qui dicerent, Hiſpaniæ REGEM non verbis quidem, ſed ipſâ re ac facto indicium dediſse, nervos ſibi eſſe inciſos, nec quicquam formidaſſe magis, quàm ne auctis fœderatorum claſſibus atque attentatis Oceani occidentalis & auſtrini commerciis, theſauris ſuis omnibus ſine quibus ſtatum ſolitum tueri non poſſet, exueretur. Interim ex ſuggeſtione ſuorum hanc ſibi ſpem propè certam faciebat, quò pervadere aperto ac diuturno bello hactenus nequiviſſet, eò inſidioſâ quiete nobis obtruſâ ſeſe tandem eſſe perventurum. Hac quippe imaginatione conſiliorum ejus duces animos ſuos paſcebant, fore ſine dubio, ut hoſtili vi amotâ, poſcēte plebe tributorum gravium pertęſâ arma poneremus, quorum reſumptio futura eſſet perdifficilis. Simul verò ſibi perſuadebant,

ſublatis externorum armorum periculis, inteſtinæ diſcordiæ, cujus jam tum ſemina videbantur jacta, locum nos inter nos eſſe daturos, & ceu fieri ſolet, incaleſcentibus diſcordium & contendentium animis, frigidam ſuffundentibus auro Hiſpanico devinctis, rupto fœdere in noſmet ac viſcera noſtra enſes verſuros, atque ità in prædam tandem regi ſuo ceſſuros. Verum utrumquę prudentia & vigilantia heroum noſtrorum, & procerum primorum, aſſiſtente DEI gratiâ, à nobis avertit. Nam & in armis manſimus durantibus induciis, iiſque velut vadib. optimis & certiſsimis ſervandæ à rege ac regiis fidei uſi ſumus, & diſſidiorum pullulantia germina in herbâ feliciter oppreſsimus. Induciis autem confectis cũ Guilhelmus Comes ob varia reip. domuſque Naſſovicæ negocia ad exitum uſque iſtius anni in Hollandià adhuc commoraretur, per ipſius abſentiam diuturnam LEOVVERDIÆ factio invaluit, quę Kalend. Ianuariis anni MDCX, quod tempus mutando magiſtratui oppidano ſtatum

1610 Tumultus ſeditioſus Leowerdiæ abſẽte gubernatore.

tum

tum eſt, vi effractâ curiæ januâ, magiſtratum conſternatum fugâ ſalutem ſibi quærere coëgit, novumque ejus loco iiſdem factioſis ſtudiis implicitum conſtituit, attonitâ totâ civitate. Quo per celeres nuncios Hagam perlato, Comes idē GVILHELMVS nullâ interpoſitâ morâ, relictis, quę iſtic eum diſtinebant, in Friſiam properavit: præſertim cum fama ferret, in aliis quoque oppidis eſſe non paucos, qui ſimilia parturirent. Hic cum in urbem turbatam veniſſet, & in rem geſtam, ſtatumque præſentem diligenter inquiſiviſset, animadvertiſſetq; ſine periculo graviſsimi motus popularis corrigere peccatum, & læſis ſuccurrere ſe non poſſe, pro prudentiâ ſuâ & eorum, quos in conſilium adhibuit, increpitis tantum factionis principib. & moderationis admonitis, cæteris benè ſperare juſſis, à movendis in corpore vitioſo crudis abſtinendum ſibi eo tempore, & medelam ſalutarem occaſioni oportunæ reſervandā putavit. Quod quamvis mirarentur multi, quibus fervidiora placebant, tamen ſa-

Prudentia Com. Guilhelmi.

Cruda in corpore ægro nō movenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

pienſ & perutile reipub. conſilium fuiſſe eventus comprobavit. Interim id curæ vigilantiſsimo & prudentiſsimo, ac boni publici amantiſsimo gubernatori fuit, velut in ſpeculâ poſito, ne quid uſpiam immoderatius fieret, ne vulnus tumeſcens aſperaretur, ne contagio hoc civitates aliæ quoque corriperentur. Et hîs dum diſtineretur in Friſiâ, patrueli MAVRICIO bello Iuliacenſi, quod inquies & ambitioſus, & alienorum appetens LEOPOLDI Auſtriaci animus conflaverat, adeſſe non potuit. Quo ſanè bello, quid ardens virtus poſsit, MAVRICIVS rurſum oſtendit, magnumq́ue priori gloriæ ſuæ cumulum adjecit. Nam & opinione omnium celerius firmiſſimum exercitum, & quæ oppugnandis munitionib. neceſſaria ſunt, confecit, & locum munitiſsimum, quemq́ue inexpugnabilem plerique arbitrabantur, brevi tempore non fraude, ſed aperto Marte, & pervicace virtute expugnavit, bellumq́ue periculoſiſsimum feliciſsimè confectum velut in

Bellũ Iuliacenſe à Leopoldo Auſtriaco motum, tempeſtivè à Mauricio oppreſſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ortu apud vicinos extinxit. A quo tem-pore ab armis quies iiſdem vicinis manſit, uſque dum WOLFGANGVS GVILHELMVS Neoburgicus ſtimulante imperii ampliandi cœcâ libidine, non ſeductus, ſed impulſus ab aliis, relictâ patriâ religione in caſtra papalia tranſiit, & Hiſpanicis in auxilium vocatis in fraudem ejus, quo cum & ſanguinis proximitas, & arctiſſima ſocietas ipſum junxerat, contra jus & fas eam rurſum turbavit, immemor beneficii maximi fœderatorum, qui nuper duce MAVRICIO ipſum cum ſocio & agnato illuſtriſsimo MARCHIONE Brandeburgico principe SEPTEMVIRO dejectis æmulis Hiſpaniſſantib. in poſſeſsionem immiſerant. Factum verò hoc anno MDCXIIII, cum fruſtratus inſidioſo conatu occupandæ arcis Iuliacenſis Duſeldorpium per fraudem oppreſsit, multaque alia Bergenſis regionis loca vi ſubitâ obruit, ac ſuæ poteſtatis fecit. SPINVLA autem ab eo conductus, qui exercitum numeroſum contra Aquiſgranenſes conflaverat,

Pax in viciniâ rurſum à VVolfgango Guilhelmo Neoburgico apoſtatâ turbata.

1614

Aquiſgranum à Spinulâ occupatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

urbemq́; eam præſidium à ſe recipere, & imperata facere coëgerat, Duram, Berc-hovium, DVISBVRGVM, ut alia ſilentio præteream, ipſam denique VESALIAM Cliviæ metropolim admoto exercitu ſuo nimis trepidè ad deditionem properantem occupavit v Kalend. Septemb. Iuliani, eique præſidium mille Hiſpanorũ impoſuit ſub prefecto Iano Gonſale. Brãdeburgicus, in cujus fraudem iſta fiebant, implorato fœderatorum, ſociorum ſuorum, auxilio, ſtatim initio horum motuũ, id effecit, ut ex eorum voluntate à principe MAVRICIO & Comite GVILHELMO LVDOVICO noſtro ex Germaniâ, quò rerum ſuarum causâ profectus fuerat, autumno ſuperiore reverſo milites ordinum fœderatorum ſtipendia facientes ad arma quàm primum vocarentur. Confectuſque ex iis exercitus circiter x millium peditum, duorum millium quingentorum equitum, virorum fortium atque optimè armatorum: aderantque in exercitu eodem cum Mauricio & Guilhelmo HENRICVS FRIDERICVS equitũ ſummus

Veſalia cum aliis oppidis ditionis Cliuẽſis & Iuliacenſ. ab eodẽ in poteſtatem redacta.

Expeditio fœderatorũ ad Rhenum, pro Electore Brãdeburg.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

mus præfectus, & ERNESTVS CASIMIRVS militiæ totius Mareſcallus, uterque Naſſovius, hic Guilhelmi Comitis, ille Mauricii principis frater. Omnib. verò paratis rectâ VESALIAM itum ab hoſte jam cinctam: quæ ſi vel ad exiguum tempus, quod poterat facillimè, ſuſtinere obſidionem voluiſſet, ſanè tam turpiter in manus inſolentium Hiſpanorum, hoc eſt, in laqueos inextricabiles, & calamitates miſerrimas non incidiſſet. Stultitiã verò ejus cum heroës noſtri in itinere cognoviſſent, indignantes ſimul, & fortunam ejus miſerantes, ex re conſilium mutuati, ut ulterioribus auſis SPINVLÆ occurrerent, ipſumq; anteverterent, EMRICAM & RESIVM in eâdem Rheni ripâ infra Veſaliam occuparunt prçſidiiſque muniverunt: & ni prævertiſſet eos Spinula, Sanctenum in adverſâ Rheni orâ ſitum etiam ſuæ poteſtatis feciſſent. Quæ dum aguntur, Comes GVILHELMVS adverſâ valetudine tentatus caſtra relinquere, & domum ſe recipere lento itinere neceſſum habuit. Eaque expeditionum bellicarum illi

Emrica & Reſium à fœderatis occupata.

Com. Guilhelmus ob adverſam valetudinẽ è caſtris diſcedit, domumq́ revertitur.

illi ultima fuit, quanquam valetudini ſolitæ non diu pòſt ſit reſtitutus. Arma quippe ordinum fœderatorum ab hoc tempore in Belgio & confinib. ad annum uſque præſentem, qui eum nobis abſtulit, quieverunt. Intereà verò utrimq; res ſuarum partium agentibus principe MAVRICIO & SPINVLA longiuſq; arma proferentibus intervenere regum & principum multorũ legati bellum exitiale compoſituri, & poſt longam conflictationem, auditis diligenter partibus & cauſâ benè cognitâ, velut arbitrarii judices controverſiam bellumq; finiverunt menſe Novembri. Quæ tranſactio ex loco, qui actionis ſedes fuit, Sanctenſis vulgò eſt dicta. Sed durum fuit SPINVLÆ & Hiſpanicis, VESALIA & reliquis occupatis, id quod in pactis erat, decedere. Itaque tergiverſatione res diu extracta: nec tamen intercedendi & coñitendi finis antè factus à legatis, quàm exercitus utráque à parte, præſidiis exceptis, è Cliviâ & regionibus conjunctis in hyberna abductus, & tranſactio ab omnibus, quorum intererat ple-

Pax in vicinia inſtaurata,

nißime

niſsimè probata, & præſidiorum è locis occupatis amotio ſanctè promiſſa fuit. Sed promiſſio ab Hiſpanicis haud præſtita reſurgentium illic novorum motuum, ac præſidiorum in hoc uſq; tempus non abductorum cauſam præbuit. Verum iſtis omiſsis ad GVBERNATOREM noſtrum, cujus memoriæ deſtinata eſt, revertatur oratio. Is GRONINGAM reverſus ſanitate recuperatâ, non inerti otio ſe dedit: procul hoc ab ingenio ipſius: ſed, uti ſolebat prius, quoties domi inermis agebat, ita tum quoque in remp. ſibi commiſſam curas ſuas intendebat, ac ne quid in ea vitii inoleſceret, ſedulò providebat: ſi quid verò obrepſiſſet, aut per vim in eam invaſiſſet, quod curabile eſſet, id legitimâ medelâ ſanare ac tollere ſatagebat: at ſi quid invaluiſſet, quod jam medicinam reſpueret, quamvis exitioſum videretur, id commodè ferendum cenſebat, ne medicatione fruſtrà tentatâ iritatum erumperet in nervum, & ante tempus remp. peſſundaret, expectandumque putabat, an quid fortè

Reliqua vita Comitis Guilhelmi Lud. domi acta: & curæ, ſtudia, mores ejuſdem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

temporis tractus daturus eſſet, quod ad ſanandum robuſtum morbum poſſet facere. Inſederat enim prudentiſsimo ejus animo vetus illud monitum, pro oraculo meritò habendum, mala benè poſita non eſſe movenda. Ita carcinoma, quod jam per annos aliquot vitalib. civitatis LEOVVERDIANÆ inhæſerat, & incrudeſcens dolores identidem ciebat, (de repub. à factioſis occupatâ & impotenter ſæpius geſtâ loquor) quoniam robur ejus vim medicam non ſuperabat, armatus autoritate totius provinciæ, & ſummorum magiſtratuum conſilio & ſubſidio fultus ſingulari dexteritate ac ſolertiâ magno tum civitatis illius tum univerſæ provinciæ bono ſuſtulit, & ne quid ſimile civitati impoſterum accideret, quantum potuit, cavit. At ambitum effrenem in eadem regnantem provinciâ, rerum publicarum peſtem certiſsimam, exorbitantem prætorum potentiam ac dominatum, quoniam ſupra medicinæ vires tunc eſſe videbat, attrectare non auſus fuit. Porrò vitia minora, minuſque reip. noxia, toleranda

Carcinoma Leoverdienſe curatū anno 1615 exeunte.

Ambitus malū in Priſia nimis robuſtum, & curam reſpuens.

Vitia quædā minora tolerãda.

leranda

lerandа potius , quam cum dolore corporis ægri ſananda arbitrabatur: ſi qua duriora occurrerent, ea blandâ ratione mitigare ipſe ſtudebat, ac mitiganda aliis quoque ſuadebat. Cum obtinere non poſſes, quod velles, etiamſi id melius eſſet, amplectendum eſſe id, quod poſſes, atq; eo prudenter utendum, exiſtimabat, & ab eâ mente dimoveri ſe non ſinebat. In armorum quiete arma quam maximè curabat, ne quid deeſſet, cum res arma poſceret. Operam perpetuò dabat, ne miles, qui reip. ſtipendia faciebat, ſegneſceret, aut per imperitiam vel deſſuetudinem arma rectè tractare neſciret, ut laborib. inſueſceret, ut fodere, & verſare terram, & truſatili vehiculo de loco in locum movere non erubeſceret, ut ordinem ſervare, in hoſtem pugnare exercitiis ludicris per belli ferias addiſceret, ſi tyro eſſet, aut habitum in his firmiorem ſibi compararet, ſi jam didiciſſet. In hoc etiam curæ & ſtudii non parum ponebat, munitiones urbium & caſtellorum ne quid vitii facerent, & ubi res uſuſque

Armorum cura.

 poſtularet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

poſtularet, ut firmiores amplioreſque fierent, utque cuſtodiè earum ac præſidia quàm rectiſsimè haberent. In parte verò non parva felicitatis ſuæ reputabat, quod pręcipuas ad curam ſuam pertinentes urbes creſcere, & mœnium amplitudine, civium ac habitatorum frequentiâ, ædificiorum ſplendore ac numero, negociationum & opificiorum multitudine opumq; copiâ augeri, quinetiam univerſam regionem, agros, villas niteſcere, & beatiores fieri videret. Adeò autem curandis provinciis ſuis intentus erat, & aſſiduus, ut rarò niſi à fœderatis ordinibus, aut patruele ſuo principe Mauricio evocatus, vel in expeditiones contra hoſtes proficiſcens è finibus earum egrederetur: utque ſemel tantum ad conſtituendas res ſuas à patre ſibi relictas in patriam & vicinas Germaniæ partes abierit; itemque ſemel à generoſo atque inclyto Comite Ennone invitatus ac rogatus, qui hujus rei gratiâ ultrò Groningam ſe contulerat, ut exemplo ſuo ipſum obligaret, Emdam ſibi caram, antiquiſſimum nimirum

Aſsiduitas in curandis provinciis.

reformatæ

reformatæ ecclesiæ hoſpitium, & exulum Belgarum religionis ergò ſolum vertentium oportunum & gratum confugium tranſmiſerit: atque inde porrò videndi cauſâ ad arces nonnullas Comitis in Friſiâ Orientali deduci ſe ſiverit, ubique magnificè, ſed longè magnificentiſsimè, & ſummo cum honore & congratulatione Emdæ à ſenatu totâq; civitate gaudente exceptus. Quid de pietate ejus eximiâ, quid de virtutibus cæteris dicam? Religionis veræ & divini cultus, doctrinæque puræ erat amantiſsimus: corruptelas ejus oderat quàm maximè, iiſq; omni ſtudio obſiſtebat, & ne in provincias, quibus ipſe præerat, irreperent aut invaderent, quantum in ſeſe erat, ſummâ curâ cavebat, curamq; hanc ſuam ad alias quoq; provincias, quantum res patiebatur, extendebat, atque in profligandis, quæ in HOLLANDIA & vicinis regionib. non ſolùm germinaverant, ſed altas quoq; radices egerant, patrueli ſuo principi MAVRICIO & calcar addebat, & fidum ſe παραςάτην præbebat. In ſacris frequen-

Pietatis ſincerum ſtudium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

tandis, audiendiſque concionibus, in ſacramentorum uſu, in precib. publicis & privatis exemplo ſuo aliis præibat, totiq́ue cultui divino ſummam reverentiam exhibebat. Non facilè circum ſe verſari, aut frequenter ſecum eſſe ſinebat, quos profanis animis eſſe, aut ab orthodoxâ religione alienos, aut in eâ frigidos animadvertebat: Et licet omnib. benignum & affabilem ſe ferret, tamen religionis ſinceræ cultorum conſuetudine præcipuè delectabatur, hos libentius quam alios miniſtros ſibi adſciſcebat, & ad honores muniaq́ue publica promovebat, aut promoveri videbat. Atque ut religionem, ita bonas quoque literas, & eruditionem cum primis diligebat, eruditorumq́ue ſermone & colloquiis plurimum gaudebat, eamq́ue ob cauſam quemadmodum in eccleſiis, ſic in Academiis & ſcholis fideliter docentes caros habebat, honoriq́ue ſibi ducebat, & in parte aliquâ felicitatis ſuæ ponebat, in utraq́ue provinciâ ſuâ, ſe gubernatore, ACADEMIAM à provincialib. eſſe inſtitutam. Quid

Bonarum literarum, & literatorum amor.

virtutes

virtutes ejus alias, prçcipuum principũ decus, cõmemorem? Fortitudinem in bello, & reb. difficilibus, animiq́; magnitudinẽ, conſtantiam, induſtriam longa geſtorum narratio explicuit. Prudentiam autem ejus quanti fecerit ipſe prudentiſsimus princeps Mauricius, vel inde pateſcit, quod magnis in rebus libenter eo conſulto ſit uſus, conſiliaq́ue ſua conſiliis ejus firmanda ſibi putarit, quodq́ue poſtremo vitæ ejuſdem actu, cum ex factionibus & diſsidiis prioribus nondum ſatis conſopitis res in Hollandia odiis civilibus adhuc tumerent, & graviſsima negocia alia, quæ imminere videbantur, animos penè omnium ſollicitos haberent, totis x menſibus à ſe diſcedere eum non ſit paſſus. Iuſtitiæ cultor diligens fuit, eamq́ue rebus omnibus antepoſuit, quippe quam cuſtodem & conſervatricem ſocietatis humanæ eſſe noverat. Tum verò tantâ fuit temperantiâ, ut hanc ejus propriam fuiſſe virtutem, ſi quis dixerit, non abs re id dicere videri queat. Nihil enim in eo luxui affine: omnia elegantia, decora, copioſa,

Fortitudo.

Prudentia.

Iuſtitia.

Tẽperantia.

copioſa pro ſtatus & dignitatis modo: familia aulica adſtricta, ad modeſtiam potius & gravitatem, quàm ad faſtum & vanitatem comparata.

Mēſæ ratio.

Menſâ gaudebat mundâ, epulis variis liberaliter inſtructâ non pro ſe ſolo, ſed etiam pro convivis, ſine quibus cum rectè valebat, nunquam ferè ad menſam accedebat: vocabat verò convivas per orbem, qui in magiſtratu, aut aliis muneribus publicis, civilibus ac eccleſiaſticis, aut alioqui conditione honeſtiore erant, quive in militiâ ordines ducebant.

Ea perrarò ſine convivis.

Mēſales ſermones.

Cum iis familiares ſermones de rebus variis inter epulas ſerebat ſingulorum conditioni accommodatos, jocoſos, hilares, ſerios, graves, atque ita ingenia eorum, ut erat naturâ perſpicax, pervidebat, cognoſcebatque: quo modo fiebat, ut, quos gubernatione ſuâ complectebatur, non minus ferè noſſet, quàm paterfamilias aliquis familiam ſuam.

Epulatio brevis.

Rarò prandium aut cœnam ultra horam extendebat, utplurimùm verò intra horam finiebat. In cibo non opiparis ac ſumptuoſis deliciis,
ſed

ſed carne, piſce, butyro, caſeo, fructibus ἐπιχωρίοις delectabatur, & iis cum mundo pane veſcebatur largè: in potu ultra id, quod naturæ & appetitui ſatis erat, haudquaquam procedebat, nec quicquam magis quam temulentiam aut ebrioſitatem oderat & deteſtabatur, temulentoſque ac ebrios averſabatur: poculis certare, iiſque incaleſcere prorſus barbarum & pluſquam beluinum eſſe exiſtimabat, legeſque combibonum non ſolum turpes, ſed etiam inſanas eſſe affirmabat: atque, ut fieri ſolet, in hos mores tota ejus familia abibat.

In potu ſumma ſobrietas, & temulentiæ averſatio.

A ſumpto cibo & convivis dimiſſis valetudinis & delectationis cauſâ aut equo aut curru extra urbem, cum cœli ratio hoc ferret, utplurimum vehebatur, eoque exercitio magis quàm aleâ aut ludis ſimilibus afficiebatur: quamvis, ſub tecto ſi manendum, latrunculorum ludo, in quo ingenium plus quam ſors aut fortuna valet, poſt epulas non illibenter nec imperitè uteretur.

Vectationes frequentes.

In rebus ſuis nihil carius quam equos habebat, quos alebat generoſiſsimos, & corporis formâ pręſtan-

Amor equorum.

 tiſſimos:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

tiſsimos: ideoq́ue raró cum domi eſſet, & in otio, ſine iis viſis diem unum tranſmittebat, ut verè PHILIPPI nomen mereretur. Morib. erat caſtiſsimis nec factis ſolum, ſed verbis etiam abhorrere ſe ab omni laſcivia ac libidine, & quicquid parum pudicum eſt, oſtendebat. Longo autem uſu ſic inſueverat libertatis moribus, ac ſi in eâ, & non in principatu eſſet natus atq; educatus, faciliuſq́; omninò libertati contra dominatum, quam dominatui contra libertatẽ favebat. Principes eos improbabat, & non iniquos ſolùm, ſed etiam inſipientes judicabat, qui tum contra ęquum, tum contra morem ac inſtituta majorum conditionem libertatis populorum ſuorum premerent, atq; ita illorum amore ſeſe exuerent. Principatum ajebat firmiorẽ ſine dubio eſſe, quo ſubjecti gauderent, quam quo iidem gemerent, vereq́; infelices eſſe principes, qui quemadmodum metuuntur à ſubditis, ita ipſi eos viciſsim metuunt. Peſtes autem publicæ rei eſſe affirmabat principum conſiliarios, qui, ut acceptos ſe iis ipſis præ-

Caſtitas.

Animus libertati favens.

Judicium de principibus, & eorũ conſiliariis.

ſtent,

ſtent, ac deſideriis eorum ſerviant, leges, jura, contractus, pacta conventa ſecundum deſideria eorundem ſubtiliter interpretantur, factaque principum ſuorum etiam juri, legib. contractibus, pactis adverſa tuentur. Nefarium eſſe ducebat in quovis homine, aliud verbis profiteri, aliud in animo habere, fidemq; aliis datam fallere, ſed maximè nefarium in viro principe, cujus promittentis ac affirmantis verba meritò ajebat juramenti vicem debere tenere: hoc principatus & regna turbare, ac ſæpè evertere, & ferè autorib. ipſis eſſe exitioſum. Ad alia tranſeo. Quemadmodum in rebus gerendis acer erat, atque animo verè magno & intrepido, ſic in ſuſcipiendis & adeundis periculis, ſi in iis fortuna publica verſaretur, malebat minus audax, quàm minus cautus videri, cæteroqui ſui diſcriminis ſatis promptus contemptor: fortitudinemque veram à temerariâ audaciâ plurimum differre rebatur. Προθυμίαν nimiam eorum, quorum in capite fortuna reipub. periclitatur, damnabat. Rarò

Improbatio temeritatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſuaſit aliquid, quod infeliciter, rarò diſſuaſit, quod feliciter reipub. ceſſerit: quo nullum majus prudentiæ ejus argumentum dari poteſt. In bello & omni re militari arcem prudentiæ eſſe putabat, diffidere, ſemperque in excubiis eſſe: inimicis verò etiam blandientibus facilè credere, id eſſe, exitio ſuomet viam ſternere, adeoque ad interitum aut calamitatem ſuam feſtinare. A nullâ re magis metuebat fœderatis, quam à ſcelerato dogmate nequiſsimorum Loiolitarum, qui licere ajunt quidlibet promittere iis, quos hereſeos ac rebellionis inſimulant, promiſſumque ſanctiſsimo etiam jurejurando firmare, re autem ipſâ, cum eſt opportunum, alia omnia facere: fidem quippe hominib. talibus datam non eſſe fidem, niſi eam Romanus Papa probet, ratamq; eſſe velit, nec ullo tam firmo vinculo eam poſſe ſanciri, quod non pro arbitrio ſuo idem Papa poſsit ſolvere: & ſi qua in hoc fraus eſſe videatur, eam piam eſſe fraudem, ac prȩmia non pœnas mereri, modò ſtatus Papani commodo fiat. Deplorabatque

Arx prudentiæ.

Metus à nefario dogmate Ignatiorum.

ſtultitiam & fortunam eorum, qui promiſſis Papicolarum, quos ſciunt Loiolitis, aut Loiolitarũ diſcipulis regendos ſe tradidiſſe, fidem habẽt. Provinciarum ſuarum viros graves prudenteſq; remp. gerentes in magno honore ac pretio habebat, venerabaturq́;, ac ab his viciſsim ſummopere colebatur. Ex domeſticis Eberhardũ Reidanum pręcipuè complectebatur, quandiu illi vitâ ſupererat, virum cum primis ingenio & prudentiâ valentem, & rerum pace belloq́; actarum tum recentium tum veterum longè peritiſsimum: quem cum conſilii aliquid expediundum erat, à latere ſuo abeſſe rarò patiebatur, quemq́; in menſâ, & quoties res ferebat, de peregrinis aut vetuſtis diſſerentem libenter & frequenter audiebat: cujus ingenio & operâ, ſimulq́; ſtudio Ioannis Cornputii inſtituta & artes veteris militiæ, de quib. ſæpe jam dixi, ex ſcriptorum monumentis eruebat, erutaſq́; in uſum reducebat. Eos, qui ordines militares in legionibus ſuis ducebant, ſi dignos ordinib. iis ſe præſtarent, militeſque ipſos, ſi gnavi, ſi

Dilectio cultuſq́ virorum gravium.

Benevolentia in viros militares, & aulæ miniſtros.

 alacres

alacres & impigri, ſi fortes, ſi ſobrii, ſi vitæ probæ eſſent; miniſtros quoq; aulicos, ſi officio ſuo rectè fungerentur, pro cujuſque loco ac ſtatu diligebat, iiſque libenter pro meritis benefaciebat. Erat, ut dixi, ingenii valdè perſpicacis, ad indolem moreſque hominum cognoſcendos. Memini ipſe, ante annos complures cum virum dignitate & doctrinâ conſpicuum, quem antè nec norat, nec viderat unquam, de publicâ re apud ſe verba facientem audiſſet, oculoſq; pariter & aures in eum intendiſſet, de ingenio ac moribus ejus tam dextrè ac verè ſtatim judicaſſe, ac ſi modium ſalis, quod ajunt, cum eo comediſſet. Idemque exemplis aliis identidem compertum. Porrò concordiæ inter fœderatos omnes, imprimis verò inter ſuos alendæ & conſervandæ, quod eam robur eſſe reipub. præcipuum intelligebat, erat longè ſtudioſiſſimus, nec quicquam magis animum ejus angebat, quàm ſicubi labare illam ac ſcindi cognoſceret, atque ut repararetur ſarciretur ve, ſummopere pro loco ac munere

Ingenium perſpicax.

Amor ac ſtudium concordiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

munere ſuo contendebat, alioſque ut idem facerent, hortabatur. Atque hanc ob cauſam moderata ſemper ſuadebat, & ab extremis urgendis, cum res aliqua controverſa erat, ſummoperè abhorrebat, quinimò etiam eos, qui diverſum iſtâ in re ſentiunt, pernicioſos reipub. eſſe putabat. Sic ſæpe accidebat, ut in controverſiis componendis partem utramq; offenderet. πλεονέκτας verò, velut diſcordię certiſsimos ſatores, ferre non poterat. *πλεονεξίας odium.* Excandeſcebat interdum & animo turbabatur, ſi quid, quod valdè iniquum exiſtimabat, inopinatò obveniret, ſed ſubitò reprimebat ſeſe, animumque in poteſtate ſe habere re ipſâ demonſtrabat: offenſas etiam in fervore enatas facillimè remittebat, & ex animo ſuo diſpungebat. *Animi moderatio.* Ingenium ei ſincerum & candidum: atq; ideò ſubdolos, & aliud præ ſe ferentes dicenteſque, aliud pectore clauſum habentes oderat & teſtabatur. *Candor.* Candore verò ſic utebatur, ut non minus cautum, quàm candidum ſe eſſe re ipſâ demonſtraret, diligenterque diſpiciebat, quorum fidei *εὐλάβεια.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ſecretum, ac momentoſum committeret. Remp. quæſtui habere, turpe & viro principe indignum, pecuniæ acervandæ intendere, parum generoſum eſſe cenſebat: cenſus ſuos uſibus ſtatui ſuo congruis non illiberaliter impendebat, ſed ita ut æs alienum non faceret. Eleemoſynis in egenos erogandis haudquaquam erat parcus, libenterq; ac promptè inopiæ eorum ſuccurrebat, & eſurientium famem copiâ menſæ ſuæ explebat. Cum ocium à negociis eſſet, id lectioni liberorum ſacrorum, aut hiſtoricorum, aut de civili diſciplinâ, libenter tribuebat, eâque pietatem & prudentiam aliaſque virtutes ſuas alebat. Atq; his inſtitutis & morib. ob quos bonis omnib. erat gratus & venerabilis, ad annum vitæ LXI pervenit. Quem cum jam eſſet ingreſſus, & poſt X menſium moram apud patruelem, principem MAVRICIVM ex Hollandiâ in Friſiam poſcentib. id reip. negociis reverſus, Leovverdiæ III Eidus Maij Iuliani mox à prandio, inter lepidos jocos & riſus cum viris militarib. hilariter

Abſtinentia.

Liberalitas parcimoniæ juncta.

Lectiones librorum.

forte

fortè peracto, vixdum in conclave ſolitum regreſſus, cum ei ſolus adeſſet ſcriba à ſecretis, repentè ἀποπληξίᾳ correptus eſt, quæ in ἡμιπληγίαν poſt aliquot horas deſinens uſum linguæ expeditum ei abſtulit, ægrumq́ue lecto affixit. Creſcente dein infirmitate cum vitæ finem ingruere ſibi arbitraretur, ne tum quidem reipub. oblitus, vocatis ad ſe provinciarū ſuarum procerib. præcipuis curam ejuſce cum cariſsimo fratre Erneſto Caſimiro adſtante, ut potuit balbutiens, & vix voces informes ac fractas expromens, manumq́ue alteram exerens & ſingulis eam porrigens velut extremùm valedicens, commēdavit. Interea verò clariſſimis medicis, quorum uti operâ ſolet, inter ſpem & metum nihil non ad debellandum morbum moventibus, cum tandem mali vis remedia omnia ſuperaret, pridiè Kal. Iunii Iuliani inter gemitus & lachrumas circumſtantium exſpiravit. Exſpiravit, inquam, & exiit ex hac vitâ heros noſter longiſsimâ vitâ longè digniſsimus: qui poſt Guilhelmum patruum Aurantiæ principē indigniſsimâ

Morbus.

Mors.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

cæde peremptum ex illuſtriſsimâ domo Naſſoviâ alter ſervator harum provinciarum contra oppreſſores Hiſpanos fuit: qui Mauricio patrueli, cui poſt patrem prima laus & gratia depulſę tyrannidis Hiſpanicæ, defenſæque libertatis ac religionis ſine dubio debetur, ita perpetuò adſtitit, ita conſiliis & factis præſtò fuit, ut gloriæ & meritorum partes ſecundas ipſi competere nemo rerum noſtrarum gnarus queat inficias ire. O infauſtam πληγὴν, non illi ſolum, cui accidit, funeſtam, ſed totis provinciis noſtris, quibus idem præfuit, imò univerſæ fœderatorum ſocietati luctuoſam! O horam non illi quidem, ſed nobis lamentabilem, quæ alieniſsimo tempore, quo conſiliis ejus & virtute opus habituri eſſe videmur, nobis eum abſtulit! Nam ipſe quidem ex mundi hujus turbinibus ac tenebris in quietem & lucem beatam conceſsit evocatus ab eo, cui aſſiduò in hoc ſeculo ſerviit, & ad quem poſtremis vitæ diebus cum invaleſceret morbus, ex imo pectore ſuſpirans infirmâ voce hæc verba aliquoties

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

egeſſit, *Domine* IESV *miſerere mei.* In cujus regno ſuperno cum univerſo fidelium cœtu, cum patre & patruo & fratribus iſtuc præmiſsis fælicisſimum ævum agit: at nobis in hoc ſalo deſtitutis acerbiſsimum dolorem luctumque reliquit. Ob quem me quoque privatim pungentem, ſingultuſque & gemitus cum lachrumis mihi moventem finire heic cogor, omiſſo etiam Rhetorum, quem vocant, epilogo, qui tantummodò aſperando dolori inviſo, & augendo tædio, quod prolixitas peperit, poterit eſſe.

Forma corporis.

Fuit, ut dixi ſupra, ſtaturâ corporis non magnâ, cæterum pectore pando & piloſo, capite grandiuſculo ſed decoro, ſupernè crinibus denſis tonſiſq; tecto, ac rotundo, fronte erectâ, facie totâ rubicundâ & ſubfuſcâ, in quâ oculi, animi indices, mirè vividi & acutum cernentes, barbâ denſâ flaveſcente, ventre inferiore poſtremis annis largo & prominulo, pinguedine inferto, reliquis membris optimè commenſuratis, niſi quod crus ſiniſtrum tormẽtariâ pilâ quondam fractum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

ex quo leviter claudicabat, deformitatis aliquid cum rheumate exili patiebatur. Quę cauſa quoq; ei erat, ut ad firmãdum greſſum ſcipione utplurimùm uteretur. Funus ei factum die III Eidus Iulii

Exequiæ.

Iuliani apprimè magnificum, cui par nec Leovverdia, nec tota cis Amaſum Friſia vidit unquam, ſive apparatum ejus, ac pompam lugubrem ſpectes, ſive hominum ſpectandi ſtudio è vicinis regionibus confluentium frequentiam: quæ quidem frequentia tanta fuit, ut nunquam Leovverdia, ex quo eſſe cœpit, majore aut pari mortalium multitudine repleta fuiſſe perhibeatur. Pompæ funebris valdè longus ordo fuit antecedentiũ tumbam feralem à præfectis cohortium militarium ac viris nobilibus XXXVI geſtatam, ſed multò longior ſequentium. In quib. eminebant & anteibant Erneſtus Caſimirus defuncti frater germanus, qui cum illuſtriſſimâ conjuge morienti adſtiterat, ſupremoſq; ejus halitus legerat, Ioannes Ludovicus frater ejuſdem conſanguineus, Ioannes Mauricius Ioannis germani fratris

filius,

filius, Comites Naſſoviæ, Iuſtinus Naſſovius patruelis Guilhelmo principi Aurantiæ ante nuptias legitimas natus, diu rei maritimę ſub fratre Mauricio principe, nunc etiam Bredæ pro eodem præfectus, canicie obſitus & venerandus: tum fratrum reliquorum, & aliorum illuſtriſsimorum principum patruelium, cognatorum, affinium, Ordinum deinde generalium in Belgio ſociatorum, & horum ſenatus ampliſsimi & ſpectatiſsimi legati: & poſt hos in utrâque defuncti provinciâ, ac Drentiâ remp. gerentes, provincialibuſque muneribus fungentes, magno numero. Academiarum item duarum profeſſores delecti. Reliquum agmen longum frequens nobilitas, & honeſtiſsimi cives Leovverdiani conficiebant. Totâ verò viâ, quâ pompa ducebatur, armati cives diſpoſiti ex utroque vię latere arcendis turbis ſtabant, inter quos media pompa mœrens incedebat. Conditæ ſunt corporis exuviæ urnâ ferali clauſæ in fano Iacobęo, juxta cariſſimam conjugem Annam Aurantiam, *Locus ſepulturæ.*

 expectan-

expectantes lætam reſurrectionem, cum animâ rurſum jungendæ, & in nubes obviam ituræ ſupremo judici vivorum ac mortuorum.

Non nobis, DOMINE, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, propter miſericordiam tuam, propter veritatem tuam.

Vt quid dicent gentes, Vbi eſt nunc DEVS eorum?

Certè DEVS noſter eſt in cælo: omnia, quæ voluit, fecit.

Idola autem eorum ſunt argentum & aurum, opus manuum humanarum. PSAL. 115.

Hi in curribus & illi in equis fidunt, nos nomen DOMINI DEI noſtri memorabimus.

Illi ſuccubuerunt & corruerunt: nos autem perſtitimus, & corroborati ſumus. PSAL. 20.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum ſanguinarium, & doloſum abominatur DOMINVS. PSAL. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

Ob vacantem paginam placuit hæc ſubjicere.

DEmoſthenes Athenienſ. Orator ſapientiſſimus, & libertatis patriæ, totiuſq; Græciæ amantiſſimus, demonſtraturus difficultatem ſuam ac omnium bonorum in benè gerendâ rep. dum ſtatum Græciæ, cujus libertati tum imminebat Philippus rex Macedoniæ Alexandri magni parens, deſcribit in oratione de coronâ, imaginem temporum et rerum noſtrarum, quibus nunc Philippus Rex Hiſpaniæ imminet, ob oculos quodammodò nobis ponit his verbis.

Πλεονέκτημα (inquit) ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι μέγα ὑπῆρξε Φιλίππῳ. παρὰ γὰρ τοῖς Ἕλλησιν, οὐ τισὶν, ἀλλά πᾶσιν ὁμοίως, φορὰν προδοτῶν, καὶ δωροδόκων, καὶ θεοῖς ἐχθρῶν ἀνθρώπων συνέβη γενέσθαι καὶ τοσαύτην, ὅσην οὐδείς πω πρότερον μέμνηται γεγονυῖαν. ὅυς συναγωνιςὰς καὶ συνεργούς λαβὼν, καὶ πρότερον κακῶς τοὺς Ἕλληνας ἔχοντας πρὸς ἑαυτοὺς, καὶ ςασιαςικῶς, ἔτι χεῖρον διέθηκε, τοὺς μὲν ἐξαπατῶν, τοῖς δὲ διδούς, τοὺς δὲ πάντα τρόπον διαφθείρων, καὶ διέςησεν εἰς μέρη πολλὰ, ἑνὸς τοῦ συμφέροντος ἅπασιν ὄντος, κωλύειν ἐκεῖνον μέγαν γίγνεσθαι.

Quorum verborum hic eſt ſenſus.

ERat, inquit, Philippus conditione multo potiore. Nam accidit apud Græcos non quoſdam modò, ſed pariter omnes uberem proventum tum temporis exiſtere proditorum, & muneribus inhiantium, ac dijs inviſorum hominum, & quidem tam uberem, ut nemo ei parem aut majorem prioribus temporibus poſſet meminiſſe. Quos ille velut conſiliorum ac conatuum ſuorum ſocios & adjutores nactus facile Græcos jam ante quoq; ſimultatibus mutuis, & ſiniſtris affectibus inteſtinâq; diſcordiâ ac ſeceſſionibus laborantes etiam pejus diſpoſuit, id eſt, igni eorum fumiganti oleum affudit, *nonnullos quidem decipiens, alios donis ſibi concilians, quoſdam verò quoquo modo, quâquâ ratione corrumpens ac pervertens: denique ſcidit eos in multas partes, quibus omnibus pariter unum hoc expediebat, id ut operam darent, ne ille invaleſceret, aut potens fieret.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
145 E 11

INDEX.

A

Actio de pace Hagæ inchoata pag. 112, ejuſdem conditio præcipua à fœd. repetita, & ab Hiſpanicis confirmata pag. 213, eadem longa, & à parte Hiſpanica parùm ſincera p. 214.
Actio de induciis annorum XII ſtudio legatorum regiorum Antwerpiæ inſtaurata, eæq; ibidem confecta. 215.
Adolphus Naſſ. Imp. 8.
Adolphus Guilhelmi pr. Aurantij frater occumbit p. 22.
Adolfus Naſſ. juvenis Ioannis fil. Ioannis N. cæſus prope Rhenobercam 215.
Albanus dux 38.
ALBERTVS Auſtriacus fratri Erneſto ſurrogatus in Belgiũ venit 128. Hulſtam Fland. capit ibid. Ambiano per inſidias potitur 129. ſtudium ſuum pacis ineundæ oſtentat ibid. Belgij αὐτοκράτωρ oſtẽtatur 131. ſubdola conſilia de pace retractat 147. reconciliatis ſibi militibus ſeditioſis cum Mendoza Neoportum contendit 156. partem copiarum, quibus Com. Erneſtus præerat, delet 158. ejus vana fiducia ibid. è prælio vix evadit 161. Oſtendam obſidet 168. eam deditione capit. 182.
Alexander Farneſius Parmenſis 39.
Alonſo Bergias cæſus 181.
Alpena opp. 130. 134.
Ambitus malum in Friſia nimis robuſtum & curam reſpuens 225.
Andreas Auſtriacus Card. Alberti vicem gerens in Belgio 132. 139.
Andreanum caſtellum extruitur 139. obſidetur 148. deditur 150.
Anſbachius 206.
Antonius Granvellanus Cardinalis 17.
Aquiſgranum à Spinula occupatum p. 221.
Antverpia in periculum adducta à Franſciſco Valeſio 39. obſeſſa à Farneſio, & eidem dedita 45. Antverpiæ de inducijs XII annorum convenit. 216.
Arenbergius perit 22.
Armorum quies in Belgio 209.
Arx prudentiæ militaris 136.
Aumalius 162.

B.

Barlamontius 60.
Barlottus 160. 162. 163.
Bartholdus Entens Groningam obſidet 31. perit 32.
Baudemontij improbitas. pag. 50.
